



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Trias Romana Hulderichi Hutteni Equitis Germani Et
Poetæ Laureati**

Hutten, Ulrich von

[Dusseldorpii], 1588

VD16 H 6411

urn:nbn:de:hbz:466:1-35424



M
M
M


7

ndern noch
gen / Hoheim vnd Gre
Mans vnd Welbs pers
ten vier Clöstern / bey
werden / gestiffet vnd ve
Clöster Einkomen / an
verwendet. Item au
nung gemacher / d
sollen aufgest
Item ehliche
prosen verord

So haben auch der
sehtigen Landgraffen zu
vor der Prediger hinder
nicht wider frey
zugebrauchen v

Also hat au
ner Fürst vnd Herr /
schweig vnd Länd
Sohn / so baldt s. f. g.
ters zur Landes Reat
wolgethan /
derehre Got
terhanen /
Amelungesborn / King
berg / Brawenhoff.

Vnd vber das die
Schul zu Helmstedt / gel



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

DIXI

TRIAS ROMANA
HULDERICHI
HUTTENI EQUITIS
GERMANI ET POETÆ
LAUREATI:

*DIALOGUS LECTU DIGNIS-
SIMVS: IN QVO ROMANI PON-
tificis ipsiusq̄, satellitum scelera & turpitudines,
fraudes, imposturæ & rapinæ mira breuitate
& concinna sua virate describuntur.*



Primùm ante annos L x v i. scriptus, &
nunc studio & opera M. Johannis Velii
Einbecæ ad S. Jacobum pastoris denuo in
lucem editus.

M. D. XIIC.

FRANZ JOSEPH
KONIGLICH
KATHOLISCH
GERMANISCH
LEHRE

ALFONSO
DE
MONTES
CANTON
DE

FRANZ JOSEPH
KONIGLICH
KATHOLISCH
GERMANISCH
LEHRE

M. D. KILIC

INTRIADEM
ROMANAM HUTTE-
NOVELIANAM EPIGRAM-
MA M. HENR. GARBERI.

HN Romana Trias vivo depicta colore
Prodit, in hoc docto conspicienda libro,
Quē generosus eques feliciter edidit olim
HUTTENS clarii fama decusq; chori.
VELIVS hunc renovat puro pietatis amore,
VELIVS ingenio clarus & arte potens.
Dignus uterq; sua laude est, quod scripserit ille,
Hic, nitidum pulchris quod facit esse typis.
Crede mihi, labor est puros defendere libros,
Præcipuè studium qui pietatis habent.
Qui juvenes estis veteres adamate libellos,
Exigui & merces magna laboris erit.

EJUSDEM IN URBEM RO-
mam Epigramma.

Colluvies scelerum Roma, est, & lerna malorū
Dæmonis hospitium, nequitiaq; schola est.
Qua nulla est pietas, qua nulla est prorsus honestas,
Qua jacet alma fides, qua viget omne nefas.
Flagitiis Sodomam excedit, turpemq; Gomorrhā
Ter superat vitis Roma subinde novis.

A 2

Sed

*Sed Sodomam in flammis perit, turpisq; Gomorraha,
Perpetuas flammis mox quoq; Roma luca.*

IN TRIADEM ROMANAM
HUTTENI.

INTER virtutes quod nomen Pontifici sit,
Pluribus HUTTENI docta Thalia canit.
Insidias, fraudes, ludos, caedesq; cruentas,
Longo cognosces ordine Pontificum,
Irarum eventus tristes, Martisq; furores,
Duris Europam qui quatunt pedibus.
At tu summe pater Divum, cui summa potestas,
Sidera cui parent, paret & unda sonans,
Pontificis detrude caput sub tartara telo,
Quando aliter linguam flectere & ora nequiti
Adsis virginei, flos o studiose, pudoris
Ac imposturas discito Pontificum,
Pontificumq; dolos, VELII quos Musa Magister
Rursus jam veri praebet amore tibi.
Hunc, quamvis foliis tenuis parvusq; libellum
Evolve, acceptus qui cupis esse DEO.
Auriculas, satis est HUTTENI scripta, nefanda
Pontifici gracili sic secuisse stylo.

M. Christoph. Hunermundus
Eimbeccensis Scholæ Restor

AD PIUM ET CANDIDUM
LECTOREM DE TRIADE RO-
mana Huttenoveliana.

Nobilis, ingenio clarus, virtute decorus,
Famaq; cui magnum nomē habere dedit,
Quod mirum, Marti & Musis carissimus heros,
Huttenus præstans corpore, mente, manu,
Arma, virumq; dolos mores, linguam, scelus omne
Roma tuum novit, culteq; Galle tuum.
Multa tulit, fecitq; piè, sudavit & alsit,
Atq; fuit patriæ gloria viva suæ.
Pro Christo in Turcam qui fortia bella secutus,
Pro populo, gladium strinxit & arma, Dei.
Sedulius evolvit sancti monumenta Lutheri,
Quæ dant salvificam Biblia & ipsa viam.
Largus opum, vultu comis, gravitate severus,
Patronus doctis confugiumq; viris.
Donec ad ætherei revocatus limina celi,
Incepit vita non pereunte frui.

Strenuus hic heros toto detexit in orbe,
Ausonii fastum, vimq; dolumq; lupi.
Impius, horrendus, rabidus, furiosus & audax,
Quid faciat Romæ, dicat & ipse Papa:
Quis furor & rabies, quæ fraus, quæ lerna malorū,
Colluvies scelerum, quod genus omne mali,

Romanos intra muros grassetur & extra,
Sævitie, insidie, ut nil pietatis ibi:
Vendat sacra, Deum, vendatq; altaria, Christum,
Ut celum, accepto Romulus ære Simon:
Hæc quicumq; cupis paucis cognoscere lector,
HVT TEN I triadem perlege, certus eris.
Perlege, & inuenies quod te meminisse iuvabit,
HVT TENO & VELIO dicere fausta velis.

At tu care VELI, Christo sed carior uni,
Quî tibi pro meritis pectore gratus ero?
Doctus es, ingenii bonitate & acumine præstas,
Sermonisq; fluunt verba diserta tui.
Tu scelerum terror, diuini & buccina verbi,
Grata facis, blando dicis & ore, Deo.
Nunc placido vultu, venientia mente fideli,
Carmina, suscipias, qualiacunq; rogo,
Pro meritis tibi, docte Veli, quæ plurima confers,
Sic faustus felix ut precor annuus eat.

Johannes Albrecht Scholæ Sena-
torix apud Eimbeccenses
Conrector.

CLA

CLARISSIMIS ET

ORNATISSIMIS VI-

RIS, PIETATE ERUDITIONE

virtute & prudentia verè præstantibus Domi-

no D. Joachimo Gætzzen, Domino compatri Geor-

gio Herbsæ, & Domino Bartholdo Volger, Illu-

strissimi quondam & laudatissimæ memoriæ Brun-

svicensium & Luneburgensium Principis Erici à

secretis & consiliis, Dominis & Mecæna-

tibus suis reverenter co-

lendis,

 ALUTEM & gratiam ab ipso filio DEI Emanuele & Salvatore nostro Jesu Christo. Clarissimi & ornatissimi viri Domini & Mecænates reverenter

colendi, vixit ante aliquot annos Hulde-

richus Huttenus, patria Francus, ordine e-

ques, nobilitate & laude generis antiqui in

primis clarus, ingenio acerrimo, & animo

prorsus Heroico, literis perquam eruditus,

injuriarum & Pontificiæ Tyrannidis im-

patientissimus, ejusq; satellitum hostis acer-

rimus, id quod varia ipsius quæ non tantum

oratione ligata, sed etiam soluta in lucem

emisit opuscula satis attestantur. Edidit au-

A 4

tem

EPISTOLA

tem ille inter alia Dialogum cui titulum fecit, Trias Romana, sive vadiscus: in quo curiã Romanam, ipsum Pontificem, ejusq̃ satellites & sacrificulos, totamq̃ illam Sacerdotum & Epicuræorũ, pessimorumq̃ hominum, quos Babylon illa fovet, colluviem, mira suavitate & concinna brevitate, sic suis ceu vivis & veris coloribus depinxit, ut in hoc argumenti genere vix quidquam magis ingeniosum, magisq̃ eruditum atq̃ concinnum conscribi queat. Dignus profectò libellus, qui non modo ab omnibus nostrę ætatis hominibus cum admiratione legatur & cognoscatur, sed etiam ad posteros transmittatur, idq̃ hanc potissimum ob causam, ut boni & cordati omnes, nec non ipsa hujus corruptissimi seculi juvenus, adeoq̃ tota, si qua tamen futura erit, posteritas, in hoc ipso dialogo tanquam brevi tabella omnes Romanorum Pontificum abominationes, fraudes, rapinas, imposturas, nec non omne flagitiorum apud ipsos usitatum genus depictum videat & cognoscat. Etsi enim majores nostri, qui partem aliquam Tyrannidis Pontificiæ & viderunt, & sustinuerunt, grata mente di-

vini

DEDICATORIA.

vinitus per Lutherum virum Dei & organon Spiritus sancti, factam liberationem celebrarint: tamen cum hujus nostræ ætatis homines, Tyrannidem & densissimas Antichristi Romani tenebras non viderint, imò nec primis, quod ajunt, labris degustarint, difficulter admodum illi tantas tamq̃ horrendas doctrinæ depravationes, tam abominandas blasphemias, tamq̃ execrandam Tyrannidem superioribus temporibus fuisse, persuaderi possunt. Et si quando à majoribus istiusmodi abominationes desolationum narrantur, perinde illis est, ac si fabulam quandam lepidam, vel figmentum aliquot Poëtarum artificiosè excogitatum, vel terrendi, vel delectandi animi gratia, recitari audirent. Ut itaq̃ sane mentis omnes, tam seniores, quam juniores lucidè, non obscure videant & cognoscant, hæc quæ de Pontificiorum abominationibus, rapinis, sceleribus & nefandis turpitudinibus narrantur, non esse inania terriculamenta vel figmenta, sed revera ita se habere, prodest hunc Hutteni Dialogum & aliorum quoq̃ libros, in quibus hæ Pontificiorum Ægyptiacæ & plus quam Cimmeriæ

EPISTOLA

tenebræ, suis quasi vivis coloribus depinguntur, asservari, & quasi per manus posteris transmitti. Et meo sanè iudicio, quod quam sit exiguum, ipse memet meo pede & modulo metiens omnium optimè novi, si quis omnes omnium dogmatum confusiones, omnes ritus Ecclesiasticos, omnes denique fraudes & imposturas, & quicquid unquam nugarum, næniarum, abominatum & monstrorū in Papatu fuit, in unum librum & quasi fasciculum colligeret, & posteris scriptum relinqueret, neque ille mihi non malè de posteritate meritis esse videretur.

Et si verò diligens & accurata scriptorum Domini D. Lutheri lectio, plurimas huiusmodi abominaciones, nugas & nænias collectas suppeditabit: præclaram tamen hac in re totæ Ecclesiæ Christi & posteritati navavit operam, doctissimus & exercitatissimus, perque totam Europam celebritate nominis clarissimus Theologus Martinus Chemnicus, senex omni pietate venerandus, Theologiæ Doctor, ἀνὰρ γεννάδας καὶ ἀκινδυνύφρων, καὶ μεγάλη σάλπιγξ τῆς ἀληθείας, πῆτε θεῖα γνώμων καὶ ἐρμηνεύσαι δυνατὸς, in suo illo opere egregio, seu potius Bibliotheca Theologica, quod confutationem
conci.

DEDICATORIA.

concilii Tridentini, & unâ assertionem & explicationem universæ doctrinæ cælestis continet.

Nuper etiam ad me ex celebri Ecclesia à viro quodam clarissimo & ornatissimo perscriptum est, quendam M. Andream Strangualdum Borussum, excellentis doctrinæ multæq; lectionis virum, inter alia opera quæ ad Ecclesiæ commodum adornare cogitat, exactam totius Papatus historiam promississe, cujus conatum atq; industriam, cum in hoc, tum in aliis utilissimis operibus adornandis, ut pii magistratus sua munificentia, & Academiæ atq; Ecclesiæ celebriores suo consilio, studio atq; opera, imo pii & fideles omnes suis precibus juvent & provehant, omnibus modis exoptandum est. Faxit Deus immortalis, ut labori & conatui hujus optimi viri penè Herculeo, eventus felix respondeat. nam secundum veterem Poëtam, *ῥά δια πάντα θεῶ τέλεισαι, καὶ ἀνήνυτον ἔδερ.*

Cum verò de consilio quorundam bonorum virorum hunc Hutteni Dialogū, eam ob causâ, de qua paulò ante mentionē feci, Typographo recudendū tradidissē, vobis
eun-

EPISTOLA

eundem clarissimi & ornatissimi viri, Domini, compatres & Meccœnates reverenter colendi, transmittendum putavi. Etsi enim per multos annos in aula Illustrissimi Brunsvicensium & Lubeburgensium Principis Erici, laudatissimæ memoriæ vixeritis, & ipsius Celsitudini à Secretis & consiliis fueritis, ipsiusq; celsitudo illam doctrinæ cælestis confessionem, quam ex limpidissimis & augustissimis sacrarum literarum fontibus, veteris & novi testamenti monumentis depromptam, & Spiritus sancti oraculis ita confirmatam, ut ne portæ quidem inferorum adversus eam prævalere valeant, animo prorsus heroico & intrepido, Augustæ vindelicorum in celeberrimis totius sacri Romani Imperii comitiis, quidam Principes & civitates, Invidiissimo Romanorum Imperatori Carolo V. certis capitibus distinctam obtulerunt, & etiamnum hodie Dei beneficio in suarum regionum Ecclesiis & Scholis incorruptam sonant & profitentur, suo quodam ille consilio amplectendam sibi non censuerit: constat tamen ipsius Celsitudinem vobis, sicuti & totius suæ ducatus subditis ferè universis, semper liberri-

berri-

DEDICATORIA.

berrimum prædictæ confessionis exercitium, clementer & benignè concedendo permisisse, vosq; Dei beneficio veram & sinceriores religionem, quam duce & authore Deo, restauratore vero electo Dei organo Martino Lutero, Ecclesiæ nostræ, juxta sacrarum literarum & incorruptæ Augustanæ nostræ confessionis normam profitentur, toto pectore amplecti, & omnes omnium non tantum Pontificiorum & Calvinianorum, sed aliorum etiam hæreticorum veterum & recentium, blasphemias & fanaticas opiniones ex animo, zelo vero & odio perfecto, detestari & execrari, ipsius deniq; Lutheri labores plusquam Herculeos, & beneficia divinitus innumera per ipsum nobis collata grata mente non tantum agnoscere & mirari, sed ore etiam pleno celebrare & prædicare.

Præterea cum ipsius celsitudo suo quodam more, de religiosæ fidei nostræ capitibus sæpissimè vobiscum placidè disputando & quærendo contulerit, quam tum graviter & nervosè, piè & solidè cælestis doctrinæ nostræ capita constanter asserendo defenderitis, & vice versa Pontificiorum

nu.

EPISTOLA

nugas & nœnias ad oculum demonstrando refutaveritis, multis id viris bonis & cordatis adeò notum est, ut de eo prolixiorem narrationem addendam esse minimè censeam.

Deniq; cum ipsi Romæ, Venetiis, Parisiis, Neapoli, adeoq; in multis aliis Galliæ & Italiæ civitatibus celeberrimis omnes illas Pontificiorum abominationes, fraudes & imposturas, scelera & flagitia, de quibus Huttenus noster hisce ternionibus suis agit, præsentibus videritis & audiveritis, ita ut ternionibus Hutteni singulis, singuli testimonium veritatis tribuere possitis, nœ terniones ipsas idipsum à me flagitare arbitratus sum, ut vobis clarissimorum virorum & testium fide dignissimorum ternioni, easdem quo eo tutius sub triadis vestræ patrocínio in publicum redire possent, transmitterem & offerrem. Quapropter cum hoc quicquid est suscepti conatus, mei erga vos amoris summi, & pro variis in me collatis beneficiis gratæ mentis testimonium esse cupiam, perquam amanter & reverenter rogatos vos velim, ut pro ea, quæ inter nos coaluit amicitia, boni idipsum consulere, meq;

DEDICATORIA.

meꝝ sicuti cœpistis, commendatum vobis
habere & redamare, non dedignemini.
Quod si à vobis, sicuti bona me spes habet,
impetravero, non modo magno me bene-
ficio affectum arbitrabor, sed etiam pro illa
animi vestri in me benevolentia, meas pre-
ces & omnia pietatis humanitatisqꝫ studia
& officia vobis vicissim offero & defero. Be-
ne & feliciter in Christo cum honestissimis
conjugibus & liberis dulcissimis valete. Da-
bantur Eimbecæ ex Musæolo jacobino
anno Christi nati M. D. LXXXVIII. ter-
tio Iduum Februarii, quo die lenæ obiit
Poëta excellens & vir optimus Dominus

M. Johannes Stigelius Gottha-
nus, anno Christi

M. D. L X I I.

Vestro Human.

reverenter colens

M. Johannes Velius

ad S. Jacobum pastor.

HUL

HULDERICHUS DE HUTTEN
EQ. SEBASTIANO DE RO.
tenhan, equiti aur. ad fini suo Salutem.

Sollicitè in epistolis tuis, dulcis. ad finis, quid scribam
hoc tempore, & an omnino aliquid scribam, percon-
taris. Studii est illud tui: hoc facis præter morem: nisi un-
quam dubitasti prius, aliquid scribere me etiam in aula
versantem, inquietudini & turbis obnoxia. Sed nunc
fortasse arbitraris in hac specula cessare, ubi vel maxime
solitudinis occasione agere aliquid hujusmodi convenit.
Hujus rei argumentum habes Vadiscum dialogum, quem
cum aliis peperit mihi quies hæc, atque hi montes. is
placebit, consilium quoque meum secedendi tantisper ab
aula non improbabis. Nolo commendare tibi librum
bonum, cum res, qua de scribo, pessima sit ut liberum
& verum fortasse volo: quo nomine vel gratissimus esse
tibi debet. Ipse quidem mihi, si usquam, in hoc placeo.
Vineta erat libertas nostra, & pontificiis impedita la-
queis, solvo: exulabat veritas, relegata ultra Garaman-
tas & Indos, reduco. Talis ac tanti facinoris mihi con-
scius non adfecto publicum præmium: illud peto, si quis
me hoc impugnandum nomine duxerit, ut causam meam
defendendam boni omnes suscipiant: hæc laboris hu-
jus merces esto. Bene vale. ex propugnaculo
Huttenico Steckelberg, Idib.
Februariis.

HUL

HULDERI. HUT.
TENI EQUITIS GER.
MANI VADISCUS DIALO.
GVS, QVI ET TRIAS ROMA.
NA INSCRIBITVR.

Interloquutores ERNHOLDUS
& HUTTENUS.

ERNHOLDUS.



UID TU HUTTENE
ab illa tandem redis ad nos
Moguntia tua, quam auream
vocare solebas? HUTTE. Au.
ream ego dixi, quæ una mihi vi.
detur omnium in Germania urbium, quæ sive
loci opportunitatem spectes, sive cæli boni.
tate potissimum movearis, primam ad se lau.
dem recipiat, nam & aër est, quantum haud
alibi, salubris, & situs longe amœnissimus, ha.
betq; Mogum & Rhenum, amnes maximos
apud se confluentes; quo fit, ut & facile ex.
patiariliceat, & totâ Germaniâ quid agatur,
perquam cito innotescat ibi. Tum illud ar.
bitror, studiosis convenire eam habitatio.
nem inprimis. nam ego quoties alicunde re.
vertor, jam apparente vixdum urbe, refici mi.
hi, & alacrior fieri videor, neq; unquam ibi
aut legere piget, aut scribere. Quinetiam u.
B trumq;

T R I A S

trumq; mira (quantum ego sentio) felicitate facio, quòd nusquam facilius provenit lucubranti. E R N H. Non ignoro talem esse ipsam ; sed ego aliam ob causam suspicatus sum auream abs te vocari. H U T. Ob quam? E R N H. Nempe quòd aurum habent sacerdotes isthic, eiq; student magis cupide, quam ipsis pene sacris. H U T. Hac ratione vestram Francofurdiam dixissem auream potissimè, ubi & auro affatim abundant homines, & auri negotia tractantur, ut vix alibi, ad euntibus ex ultimis orbis regionibus, qui emunt, & vendunt, ubi aurum suum deponunt mercatores, ubi mensas Fuccheri, & pecuniarum adeo montes habent. Sed ego auream dico, ut solemus res egregias, & si quid nobis maxime arridet, ut carum sit, & impense placeat. E R N H. Quamobrem non gemmeam igitur dicere voluisti? H U T. Quia veniebat in mentem illud, quanquam non debes ignorare intrin antiquæ jactationis esse hoc, non meum novum, quemadmodum & Colonia felix olim vocata. mordicus adhuc retinet eam appellationem. E R N H. Ita ferunt, verum haud te fuit antiquum esse item hoc, Moguntia ab antiquo nequam. H U T. Locum ego commendo, de hominibus non disputo, quamquam non habet suum nunc populum urbs hæc, neque sui juris est, quinimmo vetus nihil habet. E R N H. Igitur mittamus vetera, tu

dic

R O M A N A .

dic autem, novi quid adfers inde, & jucundi.
HUT. Novi omnino aliquid, sed non perinde
de jucundi. ERN. Quid hoc est quæso. quod
te in aurea urbe molestum habuit? HUT.
Omnino quiddam, sed quod recorder, non
nihil interim suavitatis accepi item. ERNH.
Quid hoc? HUT. Allatum est quendam Co-
loniæ mortuum: sacerdotem vetulum, ap-
prime divitem, & insigniter avarum. ERNH.
Id tibi jucundum fuit vero. HUT. Non id,
sed quod sic invitatus discessit è vita, toties pri-
us conspicatus aurum, quod sibi una cum re-
liquis thesauris decimum ante quàm morere-
tur diem, adferri jusserrat, & sub capite locari,
volens credo ad inferos deferre hæc, tum o-
mnes undique conquiri medicos, pecuniam
pollicens immensam, si se restituant, vidensq;
actum de se jam collachrymavit misere, seque
adflixit, omnia quæ cara habuerat, interim ju-
bens ostendi crebro sibi, & rationes legi, ac
usuras computari. Quinetiam sexcenties am-
plius, cum media jam in morte teneretur, fe-
runt exclamasse, ô aurum, ô possessiones, ô bene-
ficia, spectasseq; oculis admodum iniquis circū-
stantes, quos statim mortuo sese omnia expor-
taturos sciebat, ingratos etiam. Porro inversis
jam oculis, extinctoq; illo corporis lumine, in
ipsam usq; mortem utraq; manu, quantum potue-
rit, complexum thesauros suos, quod cui non ju-
cundum sit? aut quenquam miseret, eum qui sic
vixit,

TRIAS

vixit, sic mori? ERNH. Me quidem nihil, & tecum sentio, juvatq; precari, avaris hoc omnibus, ut quæ maxime cupiunt, maximo doloris sensu amittant, torqueanturq; ea super re miserrime. Quod si adfuissem morienti illi, loculos fortasse adprehendissem, aut arcam, insonuissemq; concutiens morientis auribus ad extremum usq; ejus spiritum, tantum abest, misertus ut fuisset. HUT. Recte ais, neq; ego aliud fecissem, provocassemq; hominis amentiam modis omnibus. ERNH. Ita vero, sed quid molestia adfecit te? HUT. Quod Cornelium Tacitum historicum libri auctum nuper quinque, & Romæ typis excusum, cum librario describendum darem, negavit audere se, quia Leonis X. bulla cautum sit, nequis eum denuo excudat decennium intra. ERNH. Tamdiu Tacitum non legit Germania, præsertim, qui Romæ excuduntur, cum rarissime huc advehantur libri. HUT. Hoc me urit scilicet omnium primum, deinde quod a superstitione avocari nostros homines sic ægre contingit, arbitrantes quicquam ad se pertinere eam bullam, quæ ab excolendis ingenis, & provehendis literis avocatur. Quare ab illo credente si mihi obsequatur, & studiosis omnibus gratum faciat, statim anathema esse se, percontatus sum, si quis iniquus adeo pontifex vetet in Germania vineas coli, vel aurum inquirere, & execrationibus

ROMANA.

nibus inde arceat, nunquid aquam bibituros
hic homines putet, & pecuniam abjecturos?
negavit facturos. Tum inquam, si literas ali-
quis, rem auro, ac vino desyderabiliorem
multo, nobis invideat, earumq; studio omni-
bus interdicit, utrum putet suavitatem eam
dimissuros nos, an magno cum dolore brevi
apostolico reclamatuos? hoc ait futurum.
Quid tu, inquam, Tacitum vereris igitur
Germanorum oculis ostendere authorem,
quo nemo de veteri nationis hujus laude me-
ritus est melius? Persuaseram, nisi pontificis
orator, qui nunc agit isthic, terrorem auxisset,
dicens, piaculum fore hoc admodum gran-
de, Leonemque commotum iri valde, si quis
audeat, Dolui, ut par erat, vehementer.
ERNH. Non injuria, dolendum enim cen-
seo & hoc, & quæ patimur alia multa, nam de
palliis episcopalibus, de annatis, de pensio-
bus, & sexcentis id genus exactioibus quan-
do erit ut sibi temperent isti? quos vereor ut
ferre possit diutius Germania, cum in dies ma-
gis ac magis crescat ea iniquitas, neq; unquam
modus fiat rapinis, & extorsionibus. H. Ut ais,
neq; moderantur isti negotium hoc, aliquem
sibi vitæ modum constituentes, & videtur
recipere oculos hæc natio, & cognoscere,
quæ sibi, & quàm indigne verba dentur, quo-
modo fucus fiat, ut illudatur populo lib ero,
nationi strenuæ, & ante omnes forti, ipsis eti-

TRIAS

am nobilissimis principibus, qui contemptus
objiciatur, & iam multos video libere istud
agere, conariq; ut quam primum excutiamus
jugum hoc. E R R H. Quod faxit Christus, ut
aliquando exteris ludibrio esse desinamus.
H U T. Desinemus, nisi omnia me fallunt, ita
video ad libertatem conspirari passim, nam
quanto quisq; nobilior est, aut animo magis
valet, tanto ægrius fert hoc tempore, quod
majores nostri pia affectione largiti sunt ec-
clesiis, id nescio quibus Romæ hominibus da-
ri. Præterea quotannis aliquod fieri exactio-
nes hic, & modos excogitari omnes, quibus
auferatur, si quod reliquum habet aurum
Germania, processumq; jam eo' licentiæ, ut
quibus per fraudem, & lactando emulgere
nihil possunt, ab eis per terrorem extor-
queant, qua violentia, quæ possit esse gra-
vior, quæ scædior contumelia, quæ pejor
servitus & liberis, & iis, qui orbi impera-
re debent? quasi vero armis nos device-
rint, ut vectigales habeant. Quare spem
habeo longe maximam, quia ad extremum
processit hæc indignitas, non esse quo eva-
dat ultra, nosque ereptum iri. E R N H. No-
vum imperatorem facturum hoc speras tu
scilicet? H U T. Et hoc, & alia plura hac natio-
ne, hoc imperio, suis majoribus, suoq; digna
genere. Nam ferre ut poterit primum se con-
temni, nos compilari, deinde à quibus pluri-
mum

ROMANA.

num erogatur, eos plurimum ludibrio haberi? Quæ gens despectius enim agit Romæ, quàm Germani hodie? ER N. Penitus nulla, ut quos pueri, senes, viri, mulieres, opifices, mercatores, sacrifici, nobiles, ignobiles, liberi, servi, in summa quos omnes rident, etiam captivi nationum omnium Judæi, quos publice & privatim dixeris, ac scommatibus prosequuntur omnes, quibus palàm, & manifeste illudunt, quos explodunt, quos turpibus cognomentis, & pudendis appellationibus insectantur, per jocum pariter, & serium, nullam ob causam, sed stultix opinione. At quæ Germanorum stultitia, nisi quod non sentimus indigne haberi nos? & quod nimium superstitioni tribuimus, per eamq; patimur eripi nobis, quod armis olim adimi non potuit, & quod serviunt tot semper Germani Romæ nulla alia mercede, quàm ut patrimonis sibi suis precerio uti liceat? Quid enim aliud vocabo profusam in ecclesias patrum nostrorum liberalitatem? HUT. Jam non mecum speras igitur, & ruinam illorum prospicis? ER. Jam tandem, te augente animum. HUT. Non credis quàm indigne, quamq; iracunde ex principibus quidam Augustæ tulerint anno superiori quoddam Cajetani cardinalis verbum, nam illi forte longa fuerat ostensa ecclesiasticorù pompa, quam conspicatus, cum ordinis ejus, ut apud nos, reverentiã, & quàm

T R I A S

magnifice agunt hic sacerdotes, cognovisset, statim in hoc prorupit facetum, ut illi videbatur. Quantos, inquit, stabularios Romani habemus, stultitiam exprobrans nobis, quicum tales simus, eo cogi sustinemus, ut cardinalium & episcoporum Romæ mulas, & equos fricemus, ac despectissimam quamlibet servitutem obeamus. Hoc alii factum fremebant, ego liberius accusabam etiam, crebro palam susurrans, indignum esse hac natione ab hoc hominum genere non vinci tantum nos, sed triumphare etiam, nam haud ulla acerbior est injuria, quam cum opprobrio quæ fit confidenter, & ab insultantibus. E. At ille utinam diu sic, & sæpe triumphet, quo tandem maxime nostri nos pudeat, qui mihi quidem recte videtur hoc dixisse, sic fit enim. Neq; ferè quisquam hic pingue sacerdotium habet, qui non aut Romæ servierit, aut per largitionem multa profuderit eo, aut qui Fuccheris intercedentibus emerit etiam. Sed hæc ipsius vox nonne aliquo insigni dicto, aut facto animadversa ab eo fuit? H. Quod dixi irascebantur nonnulli, & murmur erat, ac in aures susurratum est. Diceres ignominiam agnoscere suam, & dedecus, ille tamen constitit, neq; adhuc desinit venales nobis cælos proponere, & expectat cotidie, quis ab se aliquid emergetur. Quinetiam ut intelligas, quæ confidentia sit, nuper in concilio
 primo

ROMANA.

principum, ausus est criminari Carolum, ut imperio ineptum, nonnulla illi corporis pariter, ac animi impingendo vitia, & studere id, Gallicum nobis jugum ut imponeretur, imperium auferretur, omnis in ejus locum indignitas succederet. E. O seculum, o mores, quam non conveniebat hanc summæ spei adulescenti principi injuriam fieri, quam indignum nostra claritudine fuit, istam patienter audire relationem. Sed dic age, jubes me credere hoc factum? HUT. Jubeo. ER. Neq; εἰς πάλας ὁ λύκος. H. Pervasit. E. Et periculi magnitudine non est territus? H. Non territus, quin etiam ultro, ut ferunt, legationi huic sese obtulit,

Fidens animi, atq; in utrumq; paratus

Seu versare dolos, seu certe occumbere morti.

ERNH. Quam rem tu si oratione pariter, ac scriptis prosequaris, commoturus mihi videris multos. HUT. Nisi jam moti sunt, quando detractum hujuscemodi fraudibus omne prope velum est, & isti audacissime jam, ac sine modo rapiunt, quorum aliquando Romæ cū monuissim quendam, ut modestius ageret, (erat autem ex furacissimis unus) audi qua contumelia respondit. Non solum, inquit, barbaris aurum minime præbeatur, sed etiam si apud eos inventum fuerit, subtili auferatur ingenio. Notuli profligatam hominis audaciam, sed contra liberrime invecus sum ad

T R I A S

hunc propemodum. Tu inter barbaros hoc
 temporis ponis nos, & qua injuria? Nam si
 barbariem vocas inconditam quandam feria-
 tatem, & inhumanam asperitudinem, ac vi-
 tam incivilem, quantum ab iis moribus abfu-
 mus? aut si præter Christianos reliquæ omnes
 gentes, quod sensit Gratianus videtur, bar-
 baræ sunt, quæ Christiana magis dici potest
 hac natione, quæ cum præterea fidei, hospita-
 litatis, & constantiæ opinione commendata
 omnibus mundi gentibus sit, circa pietatem
 ita se religiose, & sancte gerit, ut omnes facile
 superet hoc studio nationes alias. Quæ causa
 igitur idonea est, cur hac appellatione deho-
 nestanda, & auro spolianda videatur? nisi ve-
 stros nobis mores præponis. quales, præ Chri-
 ste quales, & quàm dignos, ad quos punien-
 dos, universus circum orbis, quasi ad extin-
 guendū commune aliquod incendium con-
 surgat, ac invehatur. Sed ne me jus civile non
 didicisse impostor ille crederet, scis ajo, quæ
 de vobis quoq; statuunt leges? & adposito
 codice, eam illi Leonis imperatoris legem,
 quæ cavet, ne quis per largitionem ad episco-
 patus, aut sacerdotia adspiret, ostendi. E R N.
 Memorabilis est, & vere sancta lex, sed quæ
 vix alia contemptius negligitur hodie. H U T.
 Obsecro quia meministi tu, recita, ut quæ in
 aurifugam retorserim, audias. E R N. Si quæ-
 quam vel in hac regia urbe, vel in cæteris pro-
 vin-

ROMANA.

vinciis, quæ toto orbe terrarum diffusæ sunt, ad episcopatus gradum provehi, Deo authore, contigerit, puris hominum mentibus, nuda electionis conscientia, sincero omnium proferatur iudicio. Nemo gradum sacerdotii precii venalitate mercetur, quantum quisque mereatur, non quantum dare sufficiat, æstimetur. Profecto enim quis locus tutus, & quæ causa esse poterit excusata, si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? Quem murum integritatis, aut vallum fidei providebimus, si auri sacra fames penetrabilia veneranda proserpit? Quid deniq; cautum esse poterit, aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpitur? Cesset altaribus imminere prophanus ardor avaritiæ, & a sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaq; castus, & humilis nostris temporibus eligatur episcopus, ut locorum quocunq; pervenerit, omnia vitæ integritate purificet, nec pretio, sed prece ordinetur antistes. Tantum ab ambiru debet esse sepositus, ut quærat cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.

H. Hacten9 illi sanctione lecta, his, ajo, morib. episcopos nobis confirmatis? aut nō tanto magis quenq; probatis, quanto pecuniã largi9 in vos profundit? Tū ille, at liberū est, inquit, vobis episcopos eligere, at eos, inquã, episcopos esse

T R I A S

esse non licet, nisi pallia emant prius hic, quæ
 electionis igitur libertas? aut debet ista voca
 ri electio episcopi, non designatio potius ejus
 qui mereatur episcopatum emeret? Quare
 hoc mihi responde, num Turcæ pro imperio
 nobiscum decertantes, Christi hostes magis
 habendi sint, quàm vos, qui veneranda De
 templa pecuniis expugnabilia facitis? immo
 qui cælos jam venditis? qui illum perripistis
 integritatis murum, illud demoliti estis fidei
 vallum, quorum in satianda auri fames ad sa
 cra penetralia non proserpit jam, sed intus
 magna cum fiducia regnat, qui illam corrup
 stis incorruptam sanctitatem, qui virginem
 ecclesiam prostituitis, qui orationis domum
 fecistis speluncam latronum, unde, si hodie
 ad nos redeat Christus, commote multo ma
 gis ejecturos vos sit, quàm illos olim ementes
 & vendentes. Nam illi prophanarunt tantum
 rerum mercatum instituerant, vos sacrorum
 ecclesiæ, Christi, & spiritualis gratiæ forum a
 gitis. Non majori opere debellandi vos igitur,
 quàm Turcæ, aut longius etiam semove
 di, qui Christum, qui altaria, qui sacramenta
 qui cælos, qui venalia habetis omnia? Quo
 rum scelere factum est, ut nolint Christiani
 esse Ethnici, quandoquidem his moribus ven
 dentes vos beatitudinem aliis polliceri vi
 dent, cum armorum tantum periculû, quo
 propulsari huic nationi facillimum est,

Tur

ROMANA.

Turcis incumbat? Certe nemo ita sensu caret, ut vos sic præire aliorum vitæ conspicatus, non malit veterem sequi errorem, quam novam auspicari improbitatem. Vos igitur cum verbo dominici gregis pastores sitis, revera Christianæ plebis direptores, non Evangelium prædicetis, sed pecuniam conquiritis, non quod pastoris est, commissum vobis gregem pascatis, sed quod rapaces lupi consueverunt, dilanietis, ac depascamini, non hominum, ut illi, piscatores, sed divitiarum captatores, lucri aucupes, & auri venatores, ac violenti patrimoniorum alienorum invasores. Ultra jam audetis, quæ Petri sunt, ad vos trahere, & Christianum nomen dolis, captionibus, furacitate, & imposturis terrarum orbi infame, & odiosum reddere? Quin in viam reditis, & istos emendatis pessimos mores, istam constringitis avaritiam, istud a sacris adytis propulsatis piaculare flagitium, caste & pie vivitis, ut vitæ exemplum præbeatis aliis, Christum imitamini, ut vos imitentur cæteri, donec ita geritis vos em, ut cucumeres, si pecuniam dent impetrare a vobis sacerdotia sinatis, qui quidem sapient, oderint, qui per errorem imitabuntur, animas perdent. Præterea videndum, nequando sapiant barbari Germani, quorum simplicitate in tantum abutimini, ut contenti non sitis pecunia dispoliare, sed injuriam re illatam verborum
adhuc

TRIAS

adhuc contumelia oneretis, & augeatis, di-
 reptisq; nobis, & spoliatis, per jocum insuper
 & risum contemptissime insultetis. ERNH.
 Faciem illius nebulonis videre videor, & quo
 colore sic per te discissus, & confractus re-
 spexerit. HUT. Immo nihil magis Ernholde
 moveram, Quam si dura filex, aut stet Mar-
 pesia cautes, tanta est fiducia. Age vero fron-
 tem mutant Romæ improbi, aut aliquis est
 flagitii illic pudor? ERNH. Novi impudenti-
 am, sed quid respondebat ad hæc? HU. Quid
 aliud enim, quam hanc legem nihil agere,
 quod ab imperatore, qui jus in pontificem ha-
 beat hodie nullum. immo quem parere pon-
 tifici æquum sit, statuatur? & quædam impu-
 dentiora his adhuc multo. ERNH. Nec in
 ejus bucca tuus continuo pugnus? HU. Utiq;
 hæssisset, nisi Romæ dedisset molestiam. ERNH.
 Mirum, ni statim se perditum ibunt isti. HUT.
 Ibunt, jamq; hoc sentiunt ipsi, multa semper,
 & ubiq; audientes in se dici, quædam scribi
 etiam. An non audisti hic divagantem nuper
 Vadiscum, quæ Romæ vidit contumeliose
 admodum propalare, & magnum nationi istæ
 odium concitare? ERNH. Ipsum quidem non
 audiui, sed narravit mihi Philippus consul,
 quæ solitus sit quam fortiter loqui, decreve-
 ramq; videre eum, sed nescio quid impedi-
 menti accidit, cum interea is abiit. HUT. Mi-
 ra audiisses, nec rem tantum probasses, sed
 inge-

ROMANA.

ingenium etiam hominis admiratus fuisses, quo illos infectabatur mores, nove enim faciebat hoc. ERN. Quomodo precor? HUT. Multa sunt, tempus breve est, jamq; ad aulica poscor. ERNH. Hoc prius ediffere. HUT. Non vacat. ERNH. Non vacat? quasi tu sic aulæ servias, ut assidue id agas, neq; unam, aut duas coditie horas studiis, & amicitiae suffu- reris. Dic age, quid orari te pateris? HUT. Tunc eam tu rem, in qua operam depoposci tuam, diligenter curabis invicem? ERNH. Ut nihil diligentius. HUT. Et illud impetrabis? ERNH. Si illis persuasero. HUT. At suadebis? ERNH. Rhetorice, sed tu hoc, quod tam ægre impertis tempus, paciscendo inutiliter perdis, dic igitur. HUT. At non omnia memini. ERNH. At quæ meministi, non omnia dic. HUT. At dies non satis est. ERNH. Ain' vero? HUT. Sermonem audies prolixum valde. ERNH. Ipse quidem ob id libentius adhuc etiam audiero. HUT. Iccirco ut videas quàm non gravate tibi inferviam, diem hunc totum fretus bonitate principis, infu- mam, & sub ipsam adeo noctem agam tecum hanc fabulam. ERNH. Ad ingenium redis, jam tandem veterem Huttenum agnosco. HUTTE. Primum quæ in Romanos (ut hoc tempore, nam Romanenses ipse voca- bat, & Romanistas) dici possunt, in ternio- nes redigebat, id agens videlicet, ut omnia, quæ

T R I A S

quæ pessimè fiunt Romæ, & quæ perversissimè, in ternarium colligeret. ERNH. Audire gestio. HUT. Sed unum præfari oportet, voces barbaræ insunt, ne te moveant. ERN. Ah moveant, quasi ita delicatæ mihi aure sint, aut ignorem suis uti barbaram Curiam vocabulis. Dicigitur de Curtisanis, de Copiistis, de scobatoribus, de beneficiis curatis & non curatis, de facultatibus, de gratiis, de reservationibus, de regressibus, de annationibus etiam, & cruciata, si libet, de decisionibus rotæ, ac jure patronatus, nihil dederis molestia. HUT. Tria, inquit, urbis Romæ dignitates tuentur, authoritas pontificis, reliquiæ sanctorum, & merx indulgentiarum. ER. Quid quod tu non quærebas, num igitur putares illic futuram semper eam dignitatem, ubi pontifex? & num etiam Moguntia, si illam ecclesia instituat? aut Colonia, aut ubicunque. HUT. Immo quemlibet ubiq; episcopum existimabat tantum posse, quantum Romæ illum, & Christum a jebat æqualitatem dilexisse, ambitioni summe inimicum. Multa præterea mutui sermones dabant, & ego quædam super ternionibus anxie movi, quæ omnia tibi narrabo, sed tu sermonem hunc totum quem instituo Vadisci crede, non meum, quem enim ex illo audivi, retexo hîc. Igitur sentio ipse nec hujusmodi esse indulgentias, quem admodum ab illis prædicantur, rem tantum

I.
Tria dignitatem
urbis Romæ tuentur.

ROMANA.

momenti, & pecunia tamen comparabilem, nec magis Romæ Petrum esse, quàm ubicun- que sit pia ejus recordatio, intantum, ut mo- neret, non tutum esse omnibus ire Romam, tria ut plurimum inde reportare, qui eam ac- cedant, dicitans. ERNH. Quæ illa? HUT.

Depravatam conscientiam, corruptum sto- machum, & vacuos loculos. ERNH. Huius aptè

dispositam rem nam ego, quia insuete vixi il- lic, stomacho sum adhuc imbecilli, & nemi- nem video aut Deum esse minus putare, aut

jusjurandum ita contemnere, ac pejus vivere, quàm in beneficiorum causis, qui negotian- tur Romæ, curtisanos, nam hoc nemo igno- rat, quanti quotidie Germanis constat urbs

Roma, & quàm nemo illuc concedat, qui nõ infumat, ac de suo perdat multum, ego qui- dem vacuis, ut habet ternio, loculis inderedii. HUT. De me taceo, Vadiscus ne cum lo- culis quidem, quod si mansissem diutius, in- quit, credo sine vestibibus, sine ipsis etiam pilis abiissem, sed nos Ernholde beneficia non ca- ptantes quædam tulimus quidem moleste ve- rum haud ita magno, quantum mihi videtur, incommodo. Graviorem enim jacturam exi- stimo eorum, qui sub pravis isthic magistris animos patiebantur effœminari sibi, probi- tatem inverti, & conscientiam depravari. ERNH. Ut ille Suevus, qui objurgatus abs te, quod jusjurandi impetrasset remissionem si-

II.
Tria Ro-
mam ac-
cedentes
inde repor-
tant.

C

bi, me.

T R I A S

bi, memineras, ait, esse Romæ nos. HUT. Utq; Coloniensis alius, qui se nulla culpa falsum signasse jactabat, fuerat enim in rem pontificis hoc. ERNH. Ut præterea multi, quos ipsi vidimus, sed tu ad terniones redi. HUT. Vel iccirco fugiendam, ait, Romam, quod tria maxime conservanda interficiat, bonam conscientiam, religionis zelum, & jusjurandum. Ubi in mentem venit mihi trium quoq; commemorationem deridere nunc Romam, majorum exempla, pontificatum Petri, & extremum judicium. ERNH. Optime comparata utraq; nam jusjurandum, cui delatum fuerit, siquidem Romanos imbibit mores, incunctanter accipit certus à pontificie, si quando velit revinctum iri nodum cum, id quod intelligo velle illum, quando dicit jusjurandum interficere Romam. HUT. Intelligis, nam quod aufertur, nullum est, aut pro interempto est, pontifici vero tribuit superstitione, quod infecta possit reddere, quæ facta sunt. Porro autem religionem ibi quis unius patris facit? aut aliud Romæ studium, præter pecuniæ illud, quis curat? ERNH. Majorum autem exempla quis est Romæ qui imitari cogitet. HUT. Simonis quidem, Domitiani, Neronis, Heliogabali, & hujus generis pessimorum complures, bonorum nemo, nam de Petri vita, ejusq; episcopatu, qui verbum Romæ facit, ridiculum admodum adferre fabulam videtur.

III.
Tria maxime conservanda Roma interficit.

IIII.
Trium commemorationem Roma deridet.

ROMANA.

videtur, faciuntq; duas quasdam ecclesias, primitivam, in qua meliores vixerunt, sed quam illi umbram quandam fingunt, & secundariam, quæ est illius umbræ corpus, & vita, tota pulchra, tota aurea, & numeris omnibus absoluta, nimirum quæ ex impostoribus est, ex furibus, & sacrilegis, ex fraudatoribus, notariis, ex Simoniacis episcopis, & adulatoribus Romani antistitis, atq; his solis, nam qui episcopus, aut cardinalis bonus est hoc tempore, eum longissime ab se removent, ac præter ecclesiam habent. Præterea quandam jactant adornatam jam olim ab se Constantini donationem, & occidentis imperium ad se pertinere dicunt, occupantq; eo nomine urbem Romam, Romani imperatoris, si quis esset, domicilium, & imperii caput, deinde nullam aspernantur, ut Petrus, temporariam ditionem, sed pro regnis etiam, & imperiis digladiantur terra, ac mari tumultuanter, & sanguinem fundunt, ac veneno grassantur. ERNH. Veneno valde scio. HUT. Et armis vidisti ipsum superius Julium. ERNH. Ipsum, tot hominum millia cum perderet, qualem dii boni hominem, aut potius quale hominis portentum, vultu teter, adspectu truculentus, per omnia terribilis, horrendus, & immanis. HUT. Qui cum talis esset, authorq; fieret belli omnium,

C

quæ

T R I A S

quæ fuerunt perniciosissimi, utpote in quod
Christianos undique principes connexuisset,
inter se comminui faciens, nemo ausus est ta-
men reclamare illi, vel his verbis,

*Quid miseros toties in aperta pericula cives
Projicis, ô latio caput horum, & caussa malorum*

ERNH. Nemo, sed solum omnes timebant,
verum occidentis imperium si donat Con-
stantini privilegium, Carolo periculum est,
ne haud aliquid eorum vel quæ hæreditate
obvenerunt, velin quorû successione ele-
ctus jam est, possideat. HUT. Si reveren dissi-
morum Romæ judicio agatur, nihil posside-
bit, sunt enim ecclesiæ omnia. ERNH. Igitur
nimis credo liberales fuerunt priores ponti-
fices, qui non omnia, quæ sibi donata sunt,
vendicaverunt, sed paucis contenti regibus
alia permiserunt, & imperatorem in hac,
quantulacunq; est, portione passus sunt hære-
re. HUT. Non liberalitas ea fuit, sed imbecil-
litas, timebant enim, cum primum donatio-
nem hanc ementirentur, si nihil de ea remit-
terent, unanimem regum adversus se conspi-
rationem, cui resistere non possent. Verum
hanc esse factam avaritiæ pontificalis instin-
ctu fictionem hoc maxime convincit, quod,
si quidem ii fuerunt tunc, qui sunt hodie, sa-
cerdotum mores, nihil passus essent extrahi si-
bi, sin vero, quod arbitror, sancti fuerunt ejus
sæcu.

ROMANA.

ſæculi antiſtites, non accepiffent. Quod ſi, ut
in utilia offerentem, Conſtantinum non ad-
miſerunt hi, quibus ille donavit, quo jure eo-
rum poſteri repetant, quæ majores accipere
ſe indignum duxerunt, ac offerentibus ne da-
rent perſuaſerunt? certe profecto nūquam in
poſſeſſionem eorū, quæ completitur ſigmen-
tum hoc, ullus pervenit pontifex, immo ur-
bem Romam multis poſt Conſtantinum ſæ-
culis uſurpare tandem auſi ſunt, cum ante nō
habuiſſent tam ſero vetuſtiſſimam donatio-
nem minutiſſimæ partis in ſequuta eſt poſſeſ-
ſio. Præterea ſi quod donatum ſibi eſt, ſpon-
te remiſiſſent aliquando, num aliter, quàm
interpoſitis literis, & ſignis egiffent hoc? vel
qui illud tam ſollicite cuſtodierunt privile-
gium, iidem ſuæ liberalitatis teſtimonia ſic ne-
gligenter habuiſſent? Nugæ, immo ut dicam
ipſe, quod ſentio, privilegium Conſtantini ſic
natum arbitror, cum aliquando occaſionem
naſtus avarus (quisquis hic fuit) pontifex, ali-
quam Italiæ partem arripuiſſet, jamq; ſibi hoc
vehementer arrideret commodum, nec (ut
inexplebile eſt avaritiæ ſtadium) ibi conſiſte-
ret, ac ulterius progredi in animum induxiſ-
ſet, eſſentq; ea tunc tempora, quibus floreret
ſuperſtitio, ut ſpes fieret de facili multa obti-
nendi, ſi abuti ſimplicitate volgi, & principū
deſidia vellet, cœpit propagare fines, quod
imitati, qui ei ſucceſſerunt, uſurpatam ſemel
C 3 rapi-

TRIAS,

ra-
piendi licentiã in consuetudinem adduxe-
runt, donec prudentissimus quispiam ponti-
fex optime consultum volens & ipse rebus
ecclesiæ in veteri membrana, aut aliquandiu
in pulvere prius versata, vel situ obducta per-
scripsit divinum hoc edictum, seculis haud
dubie post Constantinum multis. E R N H.
Tamen si a' Carolo repetat hæc Leo X. quid
futurum existimas? H U T. Quid aliud enim,
quàm ut a' Leone sua vicissim ille, & regem
esse se meminerit, & Germanum. E R N H.
Atq; omnia agat, misceat, ruat, prosternat, &
evertat. H U T. Meliora Christus, non eousq;
progredietur res. E R N H. Si temperare isti
scient, qui, cui injuriam facere non audent,
cum a' Romano etiam principe contumeli-
am non abstineant? cui & a' pedibus suis co-
ronam porrigit in genua abjecto pontifex, &
abjurare urbem Romam, ac Italiæ imperium
cogit. H U T. Carolum quidem Bohemum
non aliter coronavit Urbanus pontifex, quàm
accepto jurejurando, ut eodem anno Italia
excederet, quem adeo præterea contempsit,
ut ne in colloquium quidem veniens e' car-
dinalibus quendam eum diademate obviam
miserit, vetuitq; urbem Romam accedere, &
aliquot Italiæ urbibus multavit eum. E R N.
Ominime vita dignum hominem, nedum
imperio Romano, qui hæc sustinuerit, Roma-
nenses vero non credunt ipsi, ut mihi vide-
tur,

ROMANA

tur, in extremo iudicio revictura illa tria mi-
 sere ab se interfecta, deq; eis sic afflictis red-
 ditum ire se rationem. HUT. Nempe illud
 derident extremum iudicium. ERN. Ipsumq;
 arbitror cum aliis una jugulant. HUT, Mini-
 me, ita pro nihilo habent enim, ut interfice-
 re non quærant, quod esse non arbitrantur,
 alioqui conscientia esse Romæ. ERNH. Et
 venefici tot non essent. HUT. Itaq; tribus
 in primis rebus abundare urbem Romam di-
 cit Vadiscus, antiquitatibus, venenis, & va-
 stitate, quo adjectum a me iterum, tria exu-
 lare item inde, simplicitatem, continentiam,
 & integritatem. ERNH. Recte, nam & sim-
 plicitatem non ferunt urbis mores, & con-
 tinenter Romæ nemo vivit, integer autem
 quis est? HUT. Revera nullus, hominum ve-
 ro opinione locupletissimus quisq;, & in pri-
 mis pecuniosus. ERNH. Ut ais, sed pessima
 opinio, quanto magis optabile est, ut Roma
 absit, quam illud corpori exitium ferens scor-
 pionum, serpentum, & stellionum virus? ni-
 si levius miseretur quis ab illa recessum esse
 veterum Romanorum virtute, & egregiis vi-
 tæ institutis, quam tot collapsa præclara ædi-
 ficia, tot dirutas mirabiliter speciosas stru-
 cturas, non profecto, non, lugendum ma-
 gis est, & deplorandum in Scipionum, Mar-
 cellorum, Maximorum, Catonum, Metello-
 rum, Ciceronum, Mariorum locum immi-

V.
*Tribus
 Roma a-
 bundat.*

VI.
*Tria Ro-
 mæ in exi-
 lium pel-
 luntur.*

T R I A S

VII.
Tres Ro-
manorum
negotiato-
rum mer-
ces.

VIII.
Tria Ro-
mæ audi-
tu gravif-
sima.

IX.
Tria Ro-
manenses
ægré fe-
runt.

grasse meros Vitellius, meros Othones, plus
quàm Nerones, & Domitianos, luxuriæ arti-
fices, mancipia avaritiæ, & ambitionis, trucu-
lencia & ferocitate notos, ab omni virtute,
omni ratione derelictos homines, quàm ex
marmorea urbe, & argentea factam lateriti-
am, & luteam. HUT. Acute perpendis, sed
hoc quantum est, & quale? Tres sunt, inquit,
Romanorum negotiatorum merces, Chri-
stus, sacerdotia, & mulieres. ERNH. Utinam
mulieres tantum, nec præter eum sexum eti-
am. HUT. Multa ibi referre puduit Vadiscu,
quæ illi tamen de se ipsi loquuntur epigram-
mata conscribentes, morum suorum imagi-
nes, & naturæ simulacra. Præterea hic in no-
stris aliquando oculis quæ fecerunt eorum
legati, & oratores? Sed Vadiscus tria Romæ
auditu gravissima esse putat, generale concil-
ium, emendationem status ecclesiastici, &
quod Germani oculos recipiunt, rursus
tria dolenter ferre Romanenses, principum
Romanorum concordiam, populi intelligen-
tiam, & quod innotescant suæ fraudes. ERN.
Optime Romam novit iste, quippe si vel ad
concilium perveniat res, quod isti soli, quo-
minus fiat, in mora sunt, illo jam dum adhuc
dolente, in Niceno concilio quod acceptum
est, vulnere, aut semel illa procedat diu jam
agi ata quorundam nimis ecclesiastici status
emendatio, vel Germani cognoscant quomodo
modo

ROMANA.

modo secum agatur, aut concordiam incant
 principes Christiani, vel inter religionem, &
 superstitionem dignoscat populus, vel omni-
 um oculis, & cordibus, quæ scelerate fiunt
 Romæ, exposita sint, haud jam ultra Chri-
 stum, cælos, vitam, beatitudinem viderimus
 emi, nec sacerdotia ausi fuerint isti venunda-
 re, & continentius credo vivent. HUT. Ut
 ais. ERNH. Sed concilio in tantum adver-
 santur, ut audiam episcopos Germanos cogi
 nunc in confirmatione ut jurent, nunquam
 futuros se concilii authores. HUT. Ajunt.
 ERN. Quod si est, quid posset fieri nefari-
 um magis? HUT. Vix aliquid, sed remedia,
 quæ saluti esse omnibus Romæ malis possent,
 attulit Vadiscus. ERN. Quænam? HUT. Tria
 & ipsa, superstitionum abrogationem, offici-
 orum abolitionem, & universi ibidem status
 conversionem. ERN. Tertium hoc adesse sa-
 tis erat, tunc enim & superstitio interierit,
 nec officia fuerint, siquando illa invadat,
 quàm Deus Opt. Max. acceleret, pessimorum
 rituum in melius accommodatio, verum offi-
 cia adeo abolere non cogitant, ut in magnis
 sit hoc Julii laudibus, quod eorum auxerit
 numerum. Nos autem optare decet, ut pro
 his officiis, quæ fraudum sunt, & dedecorum
 fabricæ, ac pessimarum quarumlibet impo-
 sturarum ludi, & improbitatis artium taber-
 næ, illa possideant hominum mentes officia,

X.
*Tria Ro-
 manorum
 malorum
 remedia.*

T R I A S

XI.
*Tria Rogata in
 maximo
 pratio.*

quibus de sapientissimi viri libros perscripserunt, quæ virtutes vocantur. HUT. Tum tria, inquit, maximo in pratio Romæ sunt, venustas mulierum, equorum præstantia, & diplomata pontificis. ERNH. O mulieres, o equos, & ipsum o pontificem, harum studio rerum teneri potius, quàm pacis, religionis, evangelicæ doctrinæ, in summa, quàm caritatis. Porro quando cogitavit hoc Christus, ut aliquem post se relinqueret, qui posthabitis institutionibus ab se traditis, ac vitam sequutus minime Christianam, condonationibus, & bullis terrarum orbem divexaret? aut cum animarum pastor sit pontifex, quid oportet bullam obsignare ei, cui vitam dederit, aut cælum cui dederit, cum in negotio animarum neq; literis opus sit, neq; aliunde producto testimonio, sed sua cuiq; conscientia, quæ Deo constat, neq; indicis eget apud humanarum cogitationum exploratorem. Quid cum præstantibus autem equis Christi vicariis, cum ille deformem semel asinum conscenderit? an quia gerenda bella? At hæc ille detestabatur, & tranquillitatem amplexus est, pacemq; suavit, & ejus studium ad posteros quoq; transmisit. Quàm est alienum autem à Christi instituto, amare primo locum mulieres, & cum meretricibus libidinari, eos præsertim, quos ille ex spiritu vivere voluit, & quibus ne in matrimonio quidem carnaliter

ROMANA.

carnis voluptatem satis indulfit, vel iccirco conjugis interdixit sacerdotio ordini Callistus, ut solis liceret sacerdotibus scortari, & a sancto matrimonio ad turpissimam meretricationem spiritale rediret negotium? H U.

Sed addidit tria esse frequenti in usu Romæ, carnis voluptatem, vestium luxuriam, & animorum fastum. E R N H. Profecto exercita sunt hæc ibi, sed libidinem non tantum habent Romæ vivendi ducem, verumetiam varietatem exquirunt, mirosq; ejus modos, & monstra etiam inveniunt, ita, ut nihil dicas veterum illos spintrias, certe simpliciter, & secundum naturam libidinari, vel ex consuetudine contemnunt, rusticitatem exprobrantes, quare etiam ea Romæ faciunt, quæ referre hic nos pudet. H U T. Vestium autem quæ luxuria est. E R N H. Qualis præterea nusquam. H U T. Sed non homines tantum eleganter vestiunt, & adornant Romani nunc, ipsis etiam mulas oportet auro frenari, & purpura contegi, tum fastus qui? E R N H. Ut esse odiosior haud possit, nam quid Diocletianum ethnicum sic detestari oportet, quod in vestibus gemmas habuit, & diadema primus gestavit, si Christianus pontifex triplici corona verticem ornat, & pedes suos patitur sibi deosculari terrarum principes? E R N H. Christus sanctorum pedes lavit, quod scio. H U T. Jam illa qualis
super.

XII.

Tria Romæ in frequenti usu.

T R I A S

superbia sanctissimi vocabulum agnoscere, & beatissimi adeo eum, qui in carne vivat ad huc, & forte pessimis vivat moribus? quem bonum vidimus enim (nisi quod pacem restaurat ætate nostra Leo X.) aut quem sanctum pontificem? ERNH. Immo quem minimus veterum relatione etiam, aut literarum traditione aliquot jam sæculis? nonne magnos bellatores, & urbium eversores, avaritiæ famulos obsequentis. habent historiæ multos, caritatis igne ardentem, & evangelicæ doctrinæ claritudine splendidum, aut pietate insignem, tot retro annos progrediendum ut inveniamus. HUT. Quo magis fugienda hæc illis erat appellatio. ERRH. Udicis. Sed hoc quomodo convenit, quod pro eo, qui se beatissimum vocari patitur, ut beatus fiat, adhuc orat ecclesia? sic enim illa plorat, Oremus pro papa nostro Leone, dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terris. HUT. Immo quorum illorum convenit? ERNH. Hoc vero ad fastum non pertinet, quod à pedibus suis coronam imperialem sumere jubet Romanum principem, hodie idem ille Christi vicarius HUT. Primum omnium, sed quosdam aude dicere, sibi videri minime laturum eam indignitatem Carolum, nec pedes illos dignatum osculo. ERNH. Quod si faciat, quid merebitur? HUT. Ut sapere multum putetur

fe
ad
be
ca
cu
Pa
G
te
m
re
de
se
qu
ce
na
se
de
ra
C
ca
de
ni
u
m
ru
d
ex
u
bi
n
feq

ROMANA.

seq; cognoscere nec pati doctrinam Christi
 adulterari, majestatem imperii ludibrio ha-
 beri. ERNH. Scilicet panegyricos, ut illi di-
 cant doctissimi homines? HUT. Utq; totis
 cum libris collaudent. ERNH. Et cœnam in
 Prytanæo, ut ei adparent Græci. HUT. Et
 Germanæ libertatis vindicem ut eum salu-
 tent hic omnes, eunti q; & redeunti ad cla-
 ment, Fortissimo, justissimo, liberrimo, ac ve-
 repio, vereq; Christiano, sed omittimus tria-
 dem interim. ERNH. Quid præterea Vadi-
 scus recensuit igitur. HUT. Tria facere eos,
 qui Romæ otiantur, deambulare, scortari, &
 convivia agere. ERNH. Aliud nihil agunt,
 nam quibus otium non est, hi meditando,
 scribendo, appellando, ambiendo, supplican-
 do fraudant, imponunt, pejerant, produnt,
 rapiunt, furantur, adulterant, fallunt. HUT.
 Quid? tria esse pauperum ibi obsonia, olus,
 cape, & allium, ac tria contra locupletum, su-
 dorem pauperum, usuras, & spolia Christia-
 ni populi. ERNH. Rectissime. HUT. Tresq;
 urbis cives, Simonem, Judam, & populû Go-
 morrhæ. ERNH. Horrendum dictu, sed ve-
 rum, quanquam Simonismum verbo quidem
 detestantur, re autem vera unum colunt, &
 exercent. HUT. Qua in re vel maxime odi-
 um merentur, quod ita sine cerebro nos ar-
 bitrantur, ut pecunia cum quid paratur, id
 non esse vendi, ac emi persuadeamur, cum
 adeo

XIII.

Tria fa-
 ciunt qui
 Romæ oti-
 antur.

XIIII.

Tria Ro-
 mæ paupe-
 rum obso-
 nia.

XV.

Tria di-
 vitium
 obsonia.

XVI.

Tres urbis
 Romæ ci-
 ves,

TRIAS

adeo aperte faciant hoc, ut Fuccheris etiam beneficiorum nundinationem permittant. In re parva, argento ipse redemi, ut lacte vesci, & butyro liceat jejuniorum diebus, & Romam post veniens nullum ibi clausum eo tempore macellum vidi, ac in cardinalium quorundam domibus animalium carnes indifferenter adponi. ERNH. Nos Romæ fieri hoc vidimus, ad populus Francofurdensis quibus nuper convitiis detestatus est culinam apud se pontificis legatorum? non observabant ritus enim, sed vescebantur jejuniis, ut semper, cibo omnis generis sine religione. HUT. Cumq; sic cœnarent, patiebantur amplius butyri usum emere ab se nostros? ERNH. De suo instituto haud quicquam mutabant, neq; a suis moribus corrumpi nos in mentem eis veniebat, alioqui sic manifeste extra ritus non abiissent. HUT. Eorum hoc factum nemo accusabat vero? ERNH. Quidam sane, & clamoribus acta res est. HUT. Tum ipsi quid respondebant? ERNH. Pisces Germanos ajebant non facere ad suum stomachum. HUT. Quid populus? ERNH. Parcere eos pecuniæ, quod cari essent pisces, magis credebatur. HUT. Bene ad triadem, quanquam neque hoc in ipsis esset reprehendum magnopere, siquidem impleri volunt, quibus se aut unde quæsitis saginent cibis, neq; unquam venit in mentem Christo discrimen ibi ul-

lun

ROMANA.

Iam facere. Præcipit enim apostolis, quæcun-
 que adponantur sibi, adsumere ea, ubicunq;
 sint, & post eum Paulus hoc idem contendit,
 Esca inquit, non commendat nos Deo, &
 iterum, Omne quod in macello venit, man-
 ducate, nihil interrogantes propter consci-
 entiam. Sed quia eorum est hoc præscriptum,
 deberent utiq; ipsi præire nobis, ut exemplū
 essent ejus disciplinæ, quæ ab ipsis est institu-
 ta. Absurdum est autem prævaricari eos, vel
 prævaricandi licentiam vendere aliis in hoc,
 quod statuerunt ipsi, sed jam triadem perse-
 quemur. Cardinalium vestiendi morem no-
 sti, ut demissa ex humero purpura longū po-
 nè sequatur, hūc alludens Vadiscus, ait, tria
 calamitosa syrmata post se trahere cardinales
 Romæ: indumenti; quibus pulverem excitan-
 tes insequentium oculos tota nonnunquam
 Roma infestent; familiam; quæ ex meris ut
 plurimum grassatoribus sit; ex lenonibus, si-
 cariis, & catamitis: exproditoribus, & impro-
 bis curtisanis, aut aliter flagitiosis, ac pessime
 moratis hominib. & contaminato per omnia
 grege. E. Quid hæres? HU. Tertium quæro,
 inveni: suum quenq; vectigal, id enim cum sic
 totum ex fraudatione, rapina, & furto, quàm
 longissime verrere quæ attingat secum o-
 mnia, & trahere, contagione quasi quadam
 corruptis, quæ vicina sunt, nam haud igno-
 ras tu unde vivant illi. ERNHOL.

XVII.

*Tria post
 se syrma-
 ta. Cardis
 nales Ro-
 ma tra-
 hunt.*

Quod

T R I A S

Quod de suo non vivant satis scio, & lugubrem de illis nuper Leonis X. creaturis tragœdiam passim decantari audivimus, triginta totos uno die cardinales dixerat, uno reor ex ovo natos, nam unam omnes matrem salutabant ecclesiam. H U T. Et quemlibet horum novis statim adornavit sŷrmatibus, designatis ultra alpes regionibus, in quibus liceret imponere, ac fraudare singulis, hoc est sacerdotia vendere, aut pensiones instituere, quæ de recum differeret Vadiscus, & ab eo quidam percontaretur, ubi interim pontifex raperet, quando hæc aliis concederet. Præter urbes, oppida, ac amplam circa ditionem sunt gratiæ respondit, earumq; expectativæ quæ vocantur, & illa est omnium fraudum nefandissima pectoralis reservatio. E. Pectoralem reservationem ingemisco ipse, quoties commemorari audio, tale esse ajunt crimen. H U. Mihi quidem videtur, a nullo unquam impostore nequius aliquid inventum, neminem præstigiatores sceleratius quicquam esse commentum, ita omnes fraudes vincit, omnes dolos superat, omnia excellit dedecora. Sed prius de multis obiter, quæ nationis hujus in commodo Roma facit, adnotabo pauca, non quidem ut a Vadisco audita ea sunt, nam nihil omittebat, sed ut capax mea fuit memoria. E R. Dic age, certum est veteri nausea de suctum denuo vexare stomachum, ut hanc
 brevi.

ROMANA.

breviter devoremus molestiam, & obductam
refricemus cicatricem. De Curtisanis primo
scilicet loco dicebat Vadiscus? H U T. De
ipsis multa, sed prius quid pontifex, deinde
alii quid furentur. Sunt pontificis episcopo-
rum pallæ, & quicquid ex indulgentiis redit,
quæq; pro dispensationibus dantur, & quæ
belli Turcici nomine colligunt in Germania
legati à latere, & quæ solvunt quancumque
bullam ementes. E R N H. Mitte hæc discer-
nere, quid enim refert ex nostris spoliis quid
cui obveniat, modo omnes doleamus com-
munem miseriam, & adversus publicam in-
juriam, si non possimus ulciscendo satisfa-
ctionem extorquere, saltem exclamando do-
loris acerbiter contestantes reluctemur.
Et de Curtisanis dic prius, quæ a narratore
hujus tragœdiæ audita habes, ac de statu Ro-
mano quem cognovimus ipsi, & detestati su-
mus sæpe etiam magno cum periculo. Sed
quæ horum primo loco, quæ posteriori di-
ces? & in tanta copia qui servandus ordo?
H U T. Ah ordo, quasi vero in tali perversi-
tate ordo inlit, nisi quod me primum movet
dicere eos, quæ patimur nulla nostra cum in-
juria fieri, concordata principum appellan-
tes, quæ bulla, si ut scripta est, ita ab eis obser-
varetur etiam, tamen nullum putandum esset
aut gravius, aut pudendum magis imponi ju-
gum nobis posse, nunc cum extra etiam ini-

D.

qui-

T R I A S

quitatis illius limites progredi eos uideamus,
 quem dicemus modum inesse sceleri huc
 ubi constaturam hanc arbitrandum est licen-
 tiam? E R N H. Profecto indigni fuerunt no-
 mine Germano, nedum principe hic honore,
 qui primi cum Romanis pontificibus discor-
 dem hanc inierunt concordiam, nos ter stul-
 ti, qui, majores nostri quod erraverunt, cor-
 rigere cum possimus, incommodo nostro
 summo vivi, volentes, videntesq; ita luimus,
 ut injuriam adhuc augeri cotidie, patiamur.
 Sed arte huc eos quadam, non vi, aut violen-
 tia ingressos primum existimare licet. H U T.
 Ut dicis, nam prima fallendi via, simulata pie-
 tas fuisse videtur, prætendebant ecclesie uni-
 tatem conservari oportere, atq; igitur ad
 Romanum hunc suum episcopum summam
 rerum devolverunt, & episcopiorum, ac prin-
 cipum apud nos ecclesiarum, siquidem
 Romæ mortuis episcopis vacare ea contige-
 rit, locationem ad eum pertraxerunt, sin ve-
 ro hic, confirmationem, gratis primum, post
 illic pensionum, palliorum hic pretium ca-
 ptantes, & utrunq; paulatim obtinuerunt.
 primum vili adeo imposita pecunia, ut con-
 temni ea mereretur, exinde magis ac magis
 aucta, in tantum, ut multipliciter increverunt
 jam omnia. E R N H. Quo scelere duplici,
 quam olim, pretio venit pallium Mogunti-
 num. H U T. At hanc illi pœnam interpre-

tan-

ROMANA.

tantur, nam superioribus annis, cum strenuus quidam, & dignus hoc honore episcopus a Romano quidem pontifice confirmari sustineret, pallium vero emere nollet, in eoque perstaret, ipsum quidem anathemate confixit pontifex temporis ejus, successores vero, quod in contumaciam hanc (sic enim vocant fas omne nostrum) semel consensisset ecclesia Moguntina, dupli in perpetuum damnaverunt, cum prius X. millia statuissent enim XX. nunc millia exigunt, quo de adeo nihil remittunt, ut muneribus adhuc oporteat inescare omnes, qui in negotio eo respondent aliquid, & duo verba qui scribunt, quiq; plumbum imprimunt, & palliolum hoc qui consuunt, & magnas gravissimo sumptu mittere Romam legationes opus est. Quod si in centum, aut ducentis semel annis fieret, tolerandum tamen non videretur propter detestandam in Christiana religione novitatem, nunc repertus est Moguntinus senex, qui meminit octavum ab hoc Alberto videre se Moguntiae episcopum, tot pallia emi una in ecclesia unius hominis aetate contigit. Quo factum, ut aere alieno gravissime pressa ea, & exhausto contributionibus populo, vix redeat, quo ali episcopus ibi possit. ERNH.

Quod si contingat hodie sedem hanc vacare putasne in tanta rerum penuria pallium

D 2 adhuc

T R I A S

adhuc empturos Romæ Moguntinos? H U T. Dii Albertum quidem servent, si quid huic tamen accidat, ement scio, ement pro' Christe, ement. E R N H. At pecunia non erit, neque populus ultra tribuet. H U T. Dispoliabit se homines ipsi, ac eviscerabunt, ut sit quod Romam mittant, tantum superstitioni valet, aut si in hoc non omnes consensuri videbuntur, inuenietur, qui ut sit episcopus, de suo emet. E R N H. Neq; locum tunc habebit electio? H U T. Locum non, quippe indignum hoc honore iudicabit pontifex enumerem illum, & egentem, hunc divitem probabit. Quanquam prudenter video gerere se hoc in negotio canonicos hodie per Germaniam, prævenientes ne male audiat pastor Romanus. E R N H. Quod id concilio? H U T. Nempe si ecclesia pecuniam non habeat, & gravate tribuat populus, ut locupletem aliquem eligant, qui ferre sumptum possit, etiam si idoneus alioqui non sit. E R N H. Igitur recte exprobratam nobis despectissimam servitutem, quod serviamus ultro, neq; injuria dici meretur, quam quis non invito facit. H U T. Ut ais, verum illi quoddam ibi adhuc beneficium suum interpretantur, jactantq; diligentiam curando animarum negotio suam, & ne indignus habeatur honor, hoc se facere dicunt, quam beneficentiam vocant, ita quos injuriis onerant, eos adhuc beneficiis redde-

re ho-

R O M A N A .

re honoratos videri volunt. ERNH. Quod si rebellet populus, & ordo equitum eligi velit frugi episcopum, & qui pecuniam non tantum non habeat, sed ne cupiat quidem, veterq; canonicos pro pallio vel stipem mittere Romam undecunq; ea fiat collectio, non per alias Germaniæ ecclesias hoc se dabit exemplum? HUT. Nihil proficietur, erunt enim ex principibus, qui empto pallio designabuntur ipsi a pontifice episcopi, atq; hi prætento jure hoc vi cogent & populum hunc, & equites, regnabuntq; invitis omnibus. Quale illud fuit patrum adhuc nostrorum memoria bellum Moguntinum, quo dissidentibus episcopis, altero à canonicis electo, alterum probante Romano antistite, capta urbs est, & in direptionem militibus concessa, misereq; afflictæ ecclesiæ? ERNH. Sentio qua via facillime obtineant pontifices, ut & quos ipsi velint in Germania episcopi sint, nec lucri ad eos minus, quàm suæ avaritiæ satis videtur, redeat. HUT. At satis nullum est; ita omne posterius pallium priori carius est, augenturq; magis ac magis semper, quæ extorquent hic Romani. ER. Quare unum arbitror futurum malo huic remedium, populi Germani consensum, quando uno quodam strenuo, ac se digno proposito edicto excutiet jugum hoc, & onus non grave tantum ut ægre feratur, sed turpe etiam, ut citra infamiam ferri non possit,

T R I A S

fit, abjiciet, seq; in libertatem adferet. Sed hoc vereor, ut permittat superstitio, quæ altissime in nostrorum animis radices fixit.

HUT. Permittet, Immo una cum jugo hoc abjicietur etiam superstitio, intelligentque Germani longissime diversa inter se esse veri Dei cultum, & pontificiæ tyrannidis idololatriam videntes, quæ in Romanos istos profunduntur, non religionibus accommodari, sed detestabilem pessimorum hominum luxum alere, tantum aberit, ut bene locatam hanc suam liberalitatem diutius homines existiment. Sentiunt enim ex hac largitione nihil ad divinum cultum, nihil publico bono, omnia ad execrabilium scelerum fomenta magno cum ludibrio nostro pariter, & incommodo, ac publica religionis hujus apud ethnicos infamia cedere. Pejus autem Christiani nusquam audimus, quàm Romanensium istorum objecta nobis vita, qui cum sint rerum capita, & his perditæ laborent morbis, ut valere corpus reliquum est putandum?

ERNH. Pessime ipsam, igitur vivet corpus, si morbosum hoc detrucemus caput? HUT. Non vivet sine capite corpus, neq; auferre caput necesse est, tantum inde resecare, quæ vitiosa sunt, oportet, & morbum curare, ac remedium advertere, hoc fiet autem more prudentis medici, ut morbi causa ablata, & evulso, quod eum fovet, ipse alimenti indigus desce.

ROMANA.

defectis viribus, paulatim abeat, & evanescat.
 Est enim sanabile caput hoc, sed magno cum
 dolore, propter curandi acerbitatem. ERN.
 Existimo ubi a' luxu abstracti sacerdotes ad
 pietatis officia convertentur, & ubi, ut frugi
 sint, illi malorum amovebuntur iritamenta,
 istæ opes, istæ vivendi prava libertas, ac pro
 avaritiæ studio, quod maxime depravet eos,
 inducetur simplex inopia, & innocens pau-
 pertas. Profecto enim, quod ait Græcus poë-
 ta, εἴ μὴ τὸ λαβῆναι ἦν, οὐδὲ εἰς πονηρὸς ἦν. HUT.
 Sic est, verum ab hac sanitate, propter ægri-
 tudinis ejus dulcedinem, ita abhorrebit ma-
 gna pars, ut ægrotare perpetuo malit. ERN.
 At ægrotare non permittentur, solus est hic
 enim morbus, qui juctū de quidem adficit eos,
 quibus adest, reliquis vero incommoda, &
 perniciem adfert omnibus, inter quos isti ver-
 santur ægri. HUT. Itaq; medicina opus est,
 quantumcunq; avertentur eam ægri. ERN.
 At complures ubi ægrotare sic non licebit,
 amplius sacerdotes esse nolent. HUT. Magna
 cum utilitate, & publico commodo, quando
 sic minus erit ociosorum, minus eorum, qui
 molesti sunt multis, utiles nemini. ERNH.
 Quod maturet Christus servator, ut veniat.
 HUT. Eveniet, jam in summum conscendit
 enim fraus illa, quoniamq; insurgere ultra
 nequit, decidet necessario. ERNH. Sed tunc
 vix centesimus quis querit hoc in ordine. H.

T R I A S

Et sacerdotum erat abunde satis, si e' centum
 unus relinqueretur, verum tunc aliter se ha-
 bebit res. ERNH. Quomodo arbitraris?
 HUT. Nihil scio, sed ariolor quædam, & Va-
 discus fore putat, ut optimo cuiq; locetur
 sacerdotium, qui non iccirco, quia sacerdos
 fit, otiose vivet, sed quia probata est ejus in-
 dustria, sacerdos erit, capeffetq; Remp. & ab
 aliis nihil differet, nisi quod sanctius vivet, &
 de publico bono erit magis sollicitus. ERNH.
 Atq; uxores habebunt tunc? HUT. Siquidem
 habere volent, quo ne sit scortandi iterum
 occasio. ERNH. Placet, quia neq; nos prohi-
 bebimur tunc esse sacerdotes. HUT. Opi-
 nor, Vadiscus quidem esse prius nolet, sic ho-
 mini displicent, quæ in hoc ordine sunt, o-
 mnia, in primis urbs Roma, quam detestari ne-
 mo visus est disertius. Mihi quidem multa in
 memoriam revocavit, quorum est hoc in si-
 gne unum, quod hominum adhuc memoria
 principes tantum ecclesias locabat pontifex,
 & episcopos confirmabat, inventa via est præ-
 positorum, decanorum, & canonicorum, ut
 ei sceneret initiatio, idq; non papalibus tan-
 tum, quos sibi desumpserat mensibus, sed or-
 dinariorum etiam diebus, si quid vacet, ubi
 pulchre observant præclara illa principum
 concordata, sed in id facetum est hoc Vadi-
 sci, Tria inquit, nunquam satis proveniunt
 Romæ, episcoporum pallæ, menses papales, &
 anna.

ROMANA.

annatæ. ERNH. Mihi quidem videbatur ni-
 mius horum proventus. HUT. Illis contra,
 quod insatiabilis est eorum avaritia, quod si
 ducerent satis episcopos pretio confirmare.
 non jam ad inferiores dignitates transitum
 fecissent, & si rapinis his sex menses suffice-
 rent, non in liberum tempus vi irruerent,
 neq; annatas ipsi iritarent variis modis, si satis
 multi morerentur in Germania sacerdotes.
 Porro suum est ibi, & ingens curtisanis lu-
 crum, quibus impulsoribus, cum in aliis utun-
 tur commode, tum in familiaritatis privile-
 gio magnificum est hoc eorum officium, quia
 enim si quis a familia aut pontificis, aut cardi-
 nalem, aut cujuscunq; Romæ mulionis fue-
 rit, ejus de mortui sacerdotia, decernentibus
 concordatis, a pontifice impetranda veni-
 unt, & avarissimus hic quisq; hoc in primis
 cavet, ut hac classe censeatur, propterea
 quod hi propiori, quàm cæteri, gradu, aliquid
 Romæ impetrant, factum est, ut immensus sit
 eorum numerus, qui familiaritatis nomine
 Romam locupletant. ERNH. At vidi, qui fa-
 miliares erant, emere & ipsos Romæ, ut alios,
 quæ impetrabant. HUT. Emunt & ipsi, quis
 enim gratis accipit Romæ? sed nisi familiares
 essent, emere sic eis non liceret. ERNH. Ita
 privilegium est uni Romæ, Simonismo uti
 posse, alibi piaculum est hoc incomparabile.
 Sed ubi interdum multi simul concurrunt

XVIII.

*Triannus
quam satis
proveni-
unt Romæ.*

TRIAS,

familiares, quis contentionem eam dirimit? pecunia arbitror, quam qui dederit majorem, aut licitatus maximi fuerit, reliquos vincit? H U T. Verum haud ita cito vincit, prius enim cognoscere oportet, quando multis idem promisit pontifex, quis potissimum auferat, ut si gratias ille det, quæ fraus quo ponenda sit loco, non invenio. Vidi multis ter datas, totiesq; paulopost revocatas, & tunc aliquid causabatur sanctissimus, cur benignitatem suam retractam ad se clauderet. Sed omnium maxime lites esse apud urbem Romanam expedit, augent enim Romanum aëriū, ut vix aliud, itaq; grata ibi res est, si quàm multi in jus Romam discursent, adportant enim aliquid singuli, nam qui nihil attulerit, is verò injurius est, & non tantum non datur ei Romæ quicquam, sed quod habet etiam aufertur ab eo. Proinde Vadisci sententia est, tribus esse opus ei, qui Romæ lites habeat, pecunia, literis commendatitiis, & mendacio.

XIX.
Tribus ei
opus qui
Romæ li-
tes habet.

ERNH. At mihi videtur solam pecuniam satis esse. H U T. Satis quidem, si quis abundet, ubi vero egere quis incipit, ibi tum fictionibus, promissis, causando, mentiendo, pejerando, & dejerando defectum cum sarcire oportet. Literæ vero, nisi spei plenæ amplissimæ, nihil faciunt. Quod si forte ab eo sint, qui aut pecunia multum valeat, aut potentia, & opibus floreat, tunc aliquid erit utiq; in eis
pra-

R O M A N A.

præsidium. Tria enim negotium omne pro-
movent Romæ, munera, favor, & potentia,
sed favor conciliatur & ipse dando, cui quis
inutiliter enim Romæ favet? E R N H. Nobis
quidem ad ea, quæ ibi quærebamus, malorum
favore opus non erat, multos autem vidimus
contemptissime agere, quod potuissent, si ea
fuisset, pecunia redimere. H U T. In eandem
sententiam tria Vadiscus putat unumquenq;
illic evehere, pecuniã, audaciam, & impuden-
tiam. Omnia enim comitari pecuniam video,
quanquam est aliquid item audacia, ut satyri-
co videntur, cum quis ut emergat, exilio, &
carcere dignum consciscit facinus, atq; ea in
se multas complectitur improbitates. Impu-
dentia autem verecundiam dissipat, & quo
minus pudeat flagitii, ipsa efficit. E R N H. Re-
ctè comparatum, quale est hoc autem dede-
cus, idem aut dare, aut promittere simul plu-
ribus, deinde pati litigare eos, qui spe illa pa-
riter lactati sint? H U T. Quale non tulissent
Germani, nisi miserum in modum excæcasset
eos superstitio, ejus enim obtentu indignita-
tem hanc non viderunt hactenus, & in eo
versati sunt errore, ut omnia licere pontifi-
ci arbitrarentur, etiam iniquissime aliquid
si statuat, scelusque esse inexplicabile con-
tra ejus tyrannidem reclamare verbo tan-
tum, dedecus autem non fugit Romam,
lucrum vero per dedecus etiam sectatur,
si quid

XX.

*Tria om-
ne nego-
tium Ro-
mæ promo-
vent.*

XXI.

*Tria unũ
quemq;
Romæ eve-
hunt.*

T R I A S

siquidem pessimè, ac sceleratissimè fiat, ne sit hoc vitium, cavente pontifice, cui hoc etiam dant concordata omnia, quæ cui ejus auctoritate abrogata fuerint, (quod contingit quoties minus propitius est ovibus suis ille pastor) ut Romæ oporteat ea petere, ubi negotium datur curtisanis accusandi quem videbitur, ERNH. Atq; hinc hi sunt publice clamores, quod indigne multos illi infestent, ac innocentissimo cuiq; negotium faceffant. HUT. In quo est alia iterum fraus, quod cum sit cautum in concordatis ea, quibus delitigans quis ante litis finem mortuus fuerit, confestum Romam cedere, de industria vocatur nunc eo locupletissimus quisq; senex, aut valetudinarius, quò ne, si extra papales decedat menses, non transeat Romam negotium, quorum vidi multos in itinere mori, cum Romam irent vocati. Malunt autem accusatores illi Romæ, quantacunq; etiam interposita largitione, & si vel maximum invertere sumptum oporteat, aliquid emercari, quàm ubicunque aliter ambire, quod pessimis, ac manifestis ibi tantum sceleribus locus sit. Quare Vadiscus colligit, tria suadere omnibus Romam ut eant, Romani nominis admirationem. ERNH. Nobis quidem hæc fuit causa eundi. HUT. Lucrum & male vivendi licentiam. ERNH. Hæc duo curtisanos movent, verum hoc nesciebam prius, tantum decedere ordinariis men.

XXII.
Tria sunt
que suadent ut
quis Romam eat.

ROMANA.

mensibus. HUT. Tantum decedit, ut pene pro nihilo sit extra pontificis tempus vacare quid, invenitur enim consilium, ut Romæ quoq; habeatur ratio. Quinetiam toto post alicujus excessum mense non licet ordinario locare sacerdotium, quo ingenio? nempe ut sit spatium inveniendi, quomodo Romam trahatur inde aliquid, adeo nihil prodest in duas partes divisum annum, quando quidem vel sic totum sibi vendicant illi. Quid postulationes episcoporum quo incommodo fiunt, omnibus, quæ prius habuerit is, quem alia postulat ecclesia, Romam recidentibus? quo casu duo nuper palliabis eodem anno emi Romæ vidimus. Quod si quando gratiæ, quæ vocantur expectativæ, propositæ sint, quod raro fit (eximia est hæc enim pontificis erga Germanos benignitas) ibi tum recta itur contra principum concordata, quod sub has trahunt sacerdotia, multis nominibus à Romana tyrannide libera. Jam & monachorum hic cœnobia invadunt, & abbates compilant, tum eorum, quæ semel locavit pontifex, regressum, ut vocant, unicum ejus rapinæ solatium, violentissime præciderunt, mordicis apud se tenentes, quod semel arripuerunt, & execrationibus, ac anathemate propugnantes, nequando ad libertatem redeat. Quid annatæ, primi ab accepta possessionem anni fructus? Qualis, & quàm opima ea rapina est?

Ubi

T R I A S

Ubi ne erretur, institutum est, ut Romæ cen-
 seatur, quantum cuiq; redeat hic, sed is cen-
 sus a Romana avaritia radices agit, itaq; ma-
 joris plerumq; æstimant, quàm quid est, suo
 commodo, quâ in re mirificæ sunt decisiones
 rotæ, judicium plane irrefragabile. Quan-
 quamibi quis potest conqueri injuriam, cum
 statuatur concordatorum bulla, si quis dicat,
 haud scite actum annatæ censum, mittendum
 ab urbe in Gatmaniam exploratum, qualiter
 res habeat. E R N H. At quando mittitur
 H U T. At quando conqueri aliquis ausus est?
 periculum est enim potentibus Romæ in re
 parva negotium faceffere, ac omnes verena-
 tur in eo, ad pontificem quod pertinet, serul-
 pulum movere, quo ne molestum sit hoc
 sanctissimo. Præterea Vadiscus dicebat, diem
 non satis esse sibi, ut diceret, quibus modis sa-
 cerdotia, quæ sunt libera, & a nostris locari
 debent, sub Romani episcopi potestatem ca-
 dant. Et cum diu multa dixisset, vix pauca
 attigisse videri volebat, adeo nihil omis-
 sum ab illis, quod suo serviat commodo, existimat,
 per quodlibet nefas recisis actis, consuetudi-
 ne abolita, ruptis pactis, conventionibus so-
 lutis, fide calcata, profligatis legibus, strangu-
 lata religione, omnibus inverfis, & perversis,
 committuntur & pueris sacerdotia nunc, pe-
 nê infantibus, pro dispensatione pecuniam

acci.

ROMANA.

accipiente Roma. Neque ullum est nefas, ullum scelus, ulla perversitas, quam consci-
re nos Romani nolint, quo dispensationum fruantur pretio, qui peccant tamen ipsi sine dispensatione. Scis Moguntiaë quendam mulieri Florentinaë ex beneficio suo vectigal pendere? ERNH. Nuper audiui. HUT. Et ad mulieres quid beneficia? præsertim ad Italicas nostra? ERNH. Nihil per Christum, nihil, nisi quod huic decreta est pensio. HUT. Igitur ullum putas injuriæ genus esse, quo intactos nos sinant? ERNH. Jam tandem esse nullum puto, omnia videns audere eos. HUT. Sunt quæ iis tantum qui titulis insigniti sunt, conferuntur sacerdotia, veteri Germanorum instituto, cui ut sub honestatis specie adversentur, titulos Romæ dant indignissimis quibuslibet. Quo compendio quendam vidi Ratisponæ fieri canonicum, quia doctor Romæ dictus fuerat, alioqui non obtinuisset hoc, impeditus per legem, quæ rejicit eos, qui neq; genere nobiles, neque propter eruditionem sunt insigniti, atq; ille in nulla bona arte doctus, tantum emerat titulum hunc. Quo si respiceret lex, possemus & nos nostros hic alinos sacris admo- vere, sed fortasse nollemus, Roma vero à nulla abhorret perversitate, & sola alienis fruitur piaculis. Nec ullus tam potest impeditè obijci scrupulus, quin ratio sit, quæ

TRIAS,

quæ eum solvatibi. Fit & in iis pontifici jus,
 quæ possidens aliquis, utcunq; mortuus Ro-
 mæ est, aut ab urbe dierum itinere duorum,
Ubi quid possunt venena? quid grassationes?
 quid alia urbe passim tota obvia? E R N. Mul-
 tum arbitror, quo securius agebamus Romæ
 nos, quia enim sacerdotia non habebamus, in-
 fidias non verebamus. H U T. Sed de sacer-
 dotiorum vocationibus magnum est, & fru-
 ctuosum in cursu anorum providentia pon-
 tifici, & cardinalibus præsidium, statim defe-
 runt, quod si quis neq; senex sit, neq; ægro-
 tet, ita ut in longioris vitæ suspensionem veni-
 at, tum vero commentitia aliqua de causa
 eum accusant, aliud alii vitio dantes, omnibus
 terrorem obvertentes, ita ut ab aliquibus pe-
 riculi metu pecuniam extorqueant, nonnul-
 los per afflictionem cogant mori. Quæ ma-
 gna est miseria, quoties innocentibus (quod
 ab eis maxime fit) sycophantias has struunt,
 imputata Simoniaca interdum pravitate, cer-
 to damnationis crimine, sed quod tantum
 Romæ committitur impune, neq; enim qui
 illic in sacris cauponantur, de Simonismo ac-
 cusandi veniunt. Sæpe & excommunicatus
 fingitur quis, cunq; modi sint tot, quibus de
 facto (quod dicunt) excommunicantur ho-
 mines, plerumq; ignorans quis, & nullius sibi
 criminis conscius anathema fit. Nos quoque
 dum Vadisci nunc sermonem reteximus, ju-
 xta Ro-

ROMANA.

xta Romanam perversitatem anathema fi-
 mus, etiamsi nemo accuset. ERNH. O Chri-
 ste inauditum quenquam, & indefensum
 damnari. ΗΥΤ. καὶ πρὸς τὴν ἀπολογίαν τῆς
 ἡμετέρας φέρει. ERNH. Verum hoc sibi per-
 suaderi sinant, qui cerebro carent, in nos ma-
 lefica hæc superstitio non cadit. ΗΥΤ. At il-
 li magnifice religionem ibi commendant po-
 pulo, ex Christiana mansuetudine meram
 facientes carnificinam, cunq; vivant ipsi pes-
 sime, nemini tamen beatitudinem conce-
 dunt, qui non suo cum lucro adspiret eo.
 Hinc sunt casus papales, impudens & ipsum,
 ut arbitratur Vadiscus, nugamentum. Certè
 a Christi mente alienum hoc esse videtur,
 qualecunq; sit, ille enim æqualiter omnia de-
 dit apostolis, nulli majus, quàm alteri jus con-
 cedens. Quin etiam sana adhuc ecclesia pon-
 tifices Romanos audio oblatum sibi quodam
 in concilio episcoporum principatum acci-
 pere noluisse, unde hæc autem servi servo-
 rum appellatio? nonne ad Christi sententi-
 am respicit vetustas, qui tanto quenq; subli-
 miorem in ecclesia sua statuit, quanto se face-
 ret demissiore ipse, hoc esse volens regna-
 re aliis, ministrare omnibus, isti nostrates
 quanto fastu turgent? Quod si a Christo
 alieniores habendi sunt, qui rebus sæculari-
 bus occupati spiritalia illa aut negligunt, aut
 his inferiora ducunt, quot modis Christiani

E

non

T R I A S

non sunt ipsi hi, ut ne pontifices arbitremur,
 & ecclesiae principes? Qui ferendi essent for-
 te, si tantum male viverent, nec malos etiam
 alios facerent, nunc a quibus animorum fru-
 ctus erat accipiendus, ab iis omnium pernici-
 es redit. Nam quis ulterius patientiae locus,
 quando per oppressionem eripiunt, quae blan-
 diendo olim captabant? & ecclesiae patrimo-
 nia vocant, quae precibus emendicata olim,
 eleemosynam recte dicebant? sed constitu-
 tiones scripserunt sibi, quarum metu omnes
 accipiendae hae, & musitandae sunt injuria.
 Nec satis visum canones esse scriptos, & de-
 creta, paleas addiderunt adhuc, & extra va-
 gantes, ac declaratorias, ut omnibus scilicet
 viis occurrerent veritati, omnes ejus obser-
 varent motus, omnem occluderent exitum.
 Qui cum tot modis enecent hominum ani-
 mas, quomodo Christi vicarios dici conve-
 nient? qua instituti similitudine? Ad Petrum
 aliquando respiciens ille dixit, Pasce oves
 meas, hi quid faciunt? nonne exhaustum ra-
 pinis ad famem cogunt populum Christia-
 num, toties, deglubentes, & ad vivum ton-
 dendo refecantes gregem hunc? Iterumque
 respiciens, Et tu conversus, inquit, confirma
 fratres tuos, ne hoc idem hi faciunt, cotidie
 attenuantes, & inanientes nos, semperque ma-
 gis ac magis infirmantes, nonnunquam totos
 vi fulminis sui conterentes, & interimen-
 tes,

ROMANA.

res. Adeo multa sunt, quæ animas hominum perimunt, nisi Romæ fiat confessio. Quasi vero ubi ægroter quis ibi sanare eum non liceat, & ubi peccet quis, ibi pro commisso impetrare veniam non possit, atq; ista necessaria sit circumcursatio, aut locus præstet hoc, non sua cuiq; conscientia. Sed hoc nisi esset, unde viverent tot ibi pœnitentiarii? tot qui bullas scribunt, & obsignant? indulgentias autem nemo emeret, nisi persuasum esset ab his salutem pendere, & despectæ essent omnes bullæ, nisi præstigium hoc objecissent Christianorum cordibus ad animarum salutem necessariam esse suam auctoritatem, quod adeo credit stultus populus, ut qui pecuniam non habent, si se verberari etiam Romæ patiantur publice. Proinde quis tyrannus unquam despectius multavit oppressam civitatem, quàm iste fervorum servus non liberam tantum nationem, sed orbis etiam moderatricem? Hoc cene illud est leve Christianus? illud suave jugum? Non est autem persequi ecclesiam Dei, inducere novas leges, quæ sint Christi institutis penitus contrariæ? E. Multa dicis, quæ non oportet affirmare verbo, jam scimus enim vera esse, adeo, cû nullius calculo roborari ea opus sit. H. Sed de pectorali reservatione diu nimium distuli, de qua dici quid potest pro rei magnitudine? aut quæ verba satis sunt explicando sceleri,

E 2 quod

T R I A S

quod tale est, ut ego nullis laqueis, nullis crucibus, aut aculeis, nullis ignibus, ne ultimo quidem illo, quo mundus conflagrabit, expiabile credam. ERNH. Et pontificalis est ea tamen pectoris? HUT. Ejus solius, quod amplum intus adeo est, & tot beneficiorum capax, ut cuius sacerdotium obtrigit, ei metus sit, ne hoc ante reservarit sanctissimus. E. Ille vero quot modis reservat sibi sacerdotia? H. Prius erat modus, jam infinite facit hoc, quin etiam fingitur ut plurimum reservasse eum, quo de nunquam cogitavit, curtisanis agentibus. ER. Nec ob id ipsis irascitur ille? HUT. Irascitur vero in re tam fructuosa? statim adfirmat, & hominum industriam collaudat, quo illi comperto, observatis locupletibus ubique; vetulis sacerdotibus, pecunia sanctissimo persuadent, ut quam primum moriantur ii, sacerdotia quae sic vacant, reservata dicat, sibi quoque post conferat. Aliquando etiam mortuo aliquo, tamen idem optinent, qua in re alacriter connivet Christi vicarius, tantum abest, ut gravate annuat sceleri, immo etiam tanta lucri affectatione agit hoc, ut quandoque duobus, tribus, aut pluribus idem hoc casu vendat, res est enim, ut nulla alia, levis & lubrica pectoralis impostura. Nihil contra electiones, nihil patronorum jus, nihil antiquae consuetudines, nationum ritus, aut uniuscujusque privilegia, vel principum auctoritates proficiunt, imme.

R O M A N A.

immedicabile est hoc enim venenum, quod ab illo exhalat pectore, neq; ulpian est securus sceleri patrocinium. quo se tuentur, quibus omnis alia fraus, quæcunq; lycophantiæ, omnes captiones ac imposturæ, & cujuscunque generis doli, ac machinationes infeliciter cesserunt. ERNH. Dii immortales quale præstigium narras, quantam τῶν κακῶν ἰλίαδα. HUT. Mihi quidem loqui grave est, nequis arbitretur ferre non acerbum. ERNH. Quæ mora igitur? ferrum non habet Germania, & ignes non habet? H. Si non habet, Turcæ habebunt. E. Verumu' cisci injurias has satius est ipsos nos, quàm externam aliquam vim. HUT. Satius, sed vindicta cito opus est, jam crevit in immensum enim licentia hæc. Vidisti bullam Julii, illam nobilem, & a' curtisanis gloriose jactatam, qua extra vagantem quandam Pii II. contra eos, qui ad futurum concilium appellant, confirmat. Quale dii immortales, quamq; audax facinus, & illius, qui primum statuit, & hujus, qui statum approbavit, sicci- ne illud i fidelium oculis atq; animis, sed hoc fecerunt, ut omnem semel terrorem extinguerent eorum, qui contra pontificum iniquitatem concilii refugium, quod metuentium Romæ est, quærunt. Verum hæc bulla, qualis qualis est, inter ecclesiasticas jam nunc constitutiones numeratur, & Venetis extorsit urbes, ac regiones; ERNH. Non illa bulla,

TRIAS

si recte memini, sed Gallorum, & Germano-
rum arma. Quid putas enim facturos fuisse
homines prudentia invictos, civitatem con-
silio ad omnia instructam, impudens hoc nu-
gamentum, nisi tot reges, tot respublicæ, tot
adversum exercitus fuissent? medium digi-
tum ostendissent frivolo commento. H II T.
Esto. Sed hoc quale est, quod bullam eam au-
det ille impostor Spiritu sancto cooperante
ab se scriptam profiteri? quasi possit fieri, ut in
tantæ malignitatis concilium ille se immisceat
Spiritus sapientiæ, & scientiæ Dei, & ecclesiæ
vocatur illius latronis conciliabulum, non
pessima omnium, quæ unquam fuerunt ec-
clesiæ, persecutio. Quid enim tantum me-
ruerunt, qui ex ethnicis persecuti Christum
interfecerunt homines tantum? Hi ipsam ju-
gulant Christi doctrinam, in qua fundata est
Christianorum fides, & ipsa consistit eccle-
sia, ac radicata est humani generis salus, legi-
bus suis, id est perniciosissimo infernæ exha-
lationis fumo, veritatis lucem obscurantes.
Atq; aliæ persecutiones martyrùm con-
stantia, & fortitudine auxerunt fidem, &
confirmarunt, hæc pessimorum scelerum stu-
dio pessundat, ac disperdit. E R N H. Apage-
sis Roma, quæ Christi fidem non habes, sed
avaritiam Satanæ institutum colis. Apagesis
criminum & invitiorum radix, unde publica
excrefcit Christianæ reip. pernicies, Apage-
sis.

ROMANA.

sis. HUT. Porro hoc pastorum genus, si quando ponenda sit pro ovibus anima, putasne fore strenuum. ERNH. Suas animas perderent, ac vitam impenderent pro grege, qui propter pecuniam necant oves? Quod si hodie obsideant urbem Turcæ, ut propugnanda sit Italia, primus transfugiet, primus Italiam, ac ipsam, nisi me omnia fallant, religionem quoque, si quicquam terroris ingruat, deseret, qui pecuniam a Germanis exegit nuper, qua Turcis bellum inferret, & jam roties hac fictione deluserunt populum Christianum. Neque enim Turcas volunt impugnare, cum pecuniam eo petunt nomine, sed vivere ipsi volunt, & voluptate frui. ER. Idem sentio, volunt esse quod delitiis suis, atque isti quod suppeditent luxui, unde se mollior curent, hoc in voto est, hoc agunt. Verum his eorum moribus, atque huic urbis statui, non esse opus arbitraris Turcarum gladiis? ERNH. Si nolent rem cognoscere Christiani, nec utentur ipsi ab se invento consilio, & superstitione manebunt infatuati, nec punient maleficia, esse arbitror. HUT. Vadi-
 sci est hoc, tria posse in suum, ac optimum sta-
 tum restituere Romam, Germanorum prin-
 cipum seriam, populi Christiani impatientiam,
 & presentem Turcarum exercitum. ERNH.
 Quid seria? HUT. Quia enim sæpe audi-
 tum est, aliquando facturos aliquid se dignum

XXIII.
 Tria Ro-
 mam in o-
 ptimum
 statum re-
 stituere
 possunt.

T R I A S

Germanos, neq; tamen adhuc processit hoc, ludus est Romæ dici ab iis, qui hæc faciunt, vitæ suæ rationem exacturum quenquam. ER. Nimis longa est populi patientia, cujus quando putas finis erit? HUT. Quando à superstitione resipiscent animi, quod futurum brevi magna spe ducor. ERNH. Itaq; hæc duo si malo huic subveniant, erit ne adhuc opus Turcarum armis? HUT. Vadiscus arbritratur adhuc opus esse, vix tria hæc simul ingruant, satis futura putans, ad puniendum mores hos, & ecclesiam emendandû. Ego arbritor multum posse Germaniam, si rem habita cognitione intueatur, sed intuebitur, & angustiis his consulet, ac pro superstitione veram induet religionem, multis hoc adeo argumentis colligo. ERNH. Quod faxit Christus, si quod tamen malum Christiani orbis fatum premat nos, ut à Christianis desperetur hæc malorum apud se morum emendatio, tum velim & capere urbem Turcas, & in ipsa istos urbe, ac passim jugulare, & cædere, non in fontem quidem populum, hoc enim prohibeat servator Christus, sed communem hanc publicorum morum corruptelam, præclaros hos morum magistros, qui tanto cum religionis hujus dedecore publice pernicipi præeunt. HUT. Quis miratur Boëmos igitur aliquid ausos, cum hujusmodi dent hodie hi invadendi sui occasiones!

ROMANA.

nes? ERNH. Qui improbamus etiam, non miramur tamen, tales sunt enim, ut majoribus adhuc multo malis causas præbituri videantur. HU. Ibi quid Vadiscus? Tria, inquit, Germaniam hæcenus sapere non permiserunt, principum ignavia, literarum imperitia, & vulgi superstitio. ERNH. Hæc sunt profecto ipsa, hæc sunt Huttene, sed in superstitione quoddam est adhuc eis sperabile admodum præsidium, de principibus alacriter promittis tu, literæ vero jam videntur evasisse, ac intuto esse. HU. Quod hos merdet, & male peream, si non, ut est iniquitas, videmur nimis jam eis callere bonas artes, nimis versari in studiis, quanquam nos multa desyderemus ibi. E. Ita est profecto, & quod scribunt etiam Germani, multum existimo displicere eis. H. Scribendum est tamen, & in lucem edenda veritas, quæ sancta nobis esto, & Christiana plane fiducia. Ipse enim servator noster quæ id pertinacia egit, cotidie adversus principes sacerdotum, & scribas proclamando? cuius vestigiis insistentes debemus obfirmare nos contra eos, qui ad suum quæstum abutuntur sacrorum titulis, & pro Christi doctrina hominum præceptiones substituerunt, neque docentes jam recte, neque facientes. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & serviendum monent creaturæ potius, quam creatori. Qui non, ut pastores, intrave-

XXIII.

Tria Germaniam sapere non permiserunt hæcenus.

TRIAS

runt per ostium, sed ut fures, & latrones adscenderunt aliunde, qui enim per fraudem, & ambitionem intrant, per Christum non intrant. Hoc illud est ostium enim per quod eundum est ad hoc ovile, quo cum venitur, tum pascere oportet oves Christi, non furari, mactare & perdere. Contra hos, inquam, clamandum est cum Vadisco, & jugiter vociferandum, donec sit, qui moveatur querelis, & complorationibus, donec sit, qui hoc instinctu simul audeat, ac possit contra eos, qui non, ut debebant, per mansuetudinem, & modestiam Christi obsecrant suos, sed damnationis metu, ac perditionis terrore cogunt. Qui si spiritualia nobis sua seminarent, atq; id esset tempus, ut opus facto videretur, non injuria fineremus carnalia vicissim eos nostra metere, nunc neq; dant illud neq; accipere hoc desinunt, quendam inanem offlant improbi fumum, quendam frivolum illinunt sibi fucum, qua fraude hæc ipsi auferunt præsentia, nobis futura, quæ nec habent ipsi, nec sunt in hominum potestate, pollicentur. Tanto tamdiu pretio spem hanc emimus. Tot modis offensi contumeliam non defendimus, & injuriam propulsamus. ERNH. Recte audetis quidem, huic qui reclamatis tyrannidi. Sed interim prudenter cavendæ ipsorum insidiæ vobis, ne
quid

ROMANA.

quid patiamini hac virtute indignum, neque enim contemnendos istos arbitror. HUT. Neq; ego, sed heus, non fit sine periculo facinus magnum, & memorabile. ERNH. Profecto magnum est, & egregium facinus hoc, suadendo, hortando, instigando, cogendo, & impellendo efficere, ut suam indignitatem cognoscat patria, & ad avitam recipiendam libertatem sese accingat, siquidem optineat quis. HUT. Si non optineat etiam, tamen conatum esse in merito est, & forte exemplum dabit hoc se passim, ut idem alii faciant, ac tandem moveatur mundus, & resipiscat Germania, quæ ut mihi videtur, melius de Christo, melius de ecclesia mereri non poterit, quàm si mox abrupta hac exactio in injuria, & pecunia hic retenta, istos Romæ copistas, & protonotarios fame enecet, ERN. Utinam persuadeas. HUT. Certe conabor. ERNH. Verum dicere? HUT. Dicam equidem, licet arma mihi, mortemque minentur. ERNH. Quas tunc illi fabricas contra effingent. HUT. Quas tunc ego auxilia mihi adjungam, quæ præsidia disponam. ERN. Ipsum tibi Christus fortunet, sed a Triade nimis digredimur. HUT. Nec ipse Vadiscus agebat hoc parcius, & copiose commentabatur per digressiones multa. Ibi vero, ut vix alibi, stomachabatur, quando incidit mentio de
absol-

T R I A S

absolutionibus, relaxationibus, & dispensationibus, indignatus hanc illos comminisci, inter sacerdotes inæqualitatem, & quod nimiam ibi licentiam usurpant sibi Romanistæ, a jurejurando etiam, quo se obstrinxit aliquis liberantes, & pacta rescindentes, ac fœdera soluentes, & omnium, quæ adversus religionem, & Christi doctrinam sunt, quæq; contra bonos mores, licentiam irrogantes. Tum in jus canonicum evomuit acerbissime multa, quod te ejus consultum audire oportuit, mihi quidem valde placuit. Exponebat nobis quas ibi tergiverationes, quomodo sibi, profexissent quas fraudum materias contextuissent, ut sibi miros cuniculos, pro quos utcunque attentati elabantur, disposuerint. Quid jus civile, inquit, Qua injuria per constitutiones has oppressum jacet? Hæc erat optima via laqueos injiciendi Christianæ libertati, nam cum tria sint, quibus omnia subigit urbs Roma, vi, astu, & simulata sanctitate, vis est hæc quidem maxima, sed quæ non valuisset, nisi hoc cum astu temperassent, ut hominibus persuaderent, ecclesiæ totius consensu esse sancita, quæ cotidie statuunt. ERNH. Quale est hoc Carolo nuper objectum, nequis unquam Neapolitanus rex in Romanum imperatorem deligatur. HUT. Ubi quis non intelligit quid captent? sed hujusmodi eorum leges, & aliæ sunt infinitæ, quas illi tamen ado-

XXV.
Tribus Roma omnia subigit.

ROMANA.

adorari volunt a nobis. Certe profecto palam credi volunt, plus agere apicem in suis constitutionibus unum, quam sexcentas imperatorum Romanorum, aut veterum iureconsultorum leges, præferuntq; euangelio canones, & Christi doctrinæ pontificalia decreta. minus tribuentes Deo, quam hominibus. Quod obnixè adeo tuentur, ut nefas ducant, quod semel pontifex aliquis statuit, contra id vel mutire nos euangelicum quid. At episcopus Romanus quoties novam molitur sanctionem advocatis in concilium uno, aut altero ex cardinalibus, aut protonotariis suis, vel tot etiam monitis, quot aut sibi obnoxios habet aut velle idem, quod conatur, pervenerit, ecclesiæ totius auctoritatem ei, quod sic peperit, decreto, qualecunq; est hoc etiam aut quantumcunq; nefarium, præterdit, ibi tum clamatur, Ecclesia hoc statuit, ecclesia non errat, credere oportet in sanctam ecclesiam. Hoc satis est, hic omnibus obstruitur os, nemo quid movere audeat intentandæ hærelis periculo, quod de facili adeo intenditur, ut proclivius sit hæreticum fieri, quam errorem vitæ agnoscere. At illi hunc cum fecissent prius fucum populo Christiano, tum vero sanctissimi vocabulum agnovit statim pastor ille, nec beatissimus salutare erubuit. Exinde pedum osculationes, & principum Christianorum ad intentati anathematis, terrorem

XXVI.
Tres Romanorum Pontificū piscaturæ.

rōrem metus. Statim tota illa tyrannis incre-
 buit, verum huic potentiaē opus erat pecunia,
 ut sumptus plus quā̄m regios facerent. Tri-
 plex inventum ibi consilium extorquendi ab
 exteris aurum, per indulgentiarum nundi-
 nas, per simulatam in Turcas expeditionem,
 & concessas legatis apud barbaros faculta-
 tes. ERNH. Nunquam aliquis aptius hęc col-
 legit, profecto tres sunt hęc præcipuæ illo-
 rum piscaturæ. HUT. Nimirum Petri suc-
 cessores piscari decet. ERNH. Verum animas
 hominum, non pecuniam uniuscujusq; Pro-
 fecto enim iniquissime comparatum est hoc,
 ut pro eo quod dixit Christus, faciam vos pi-
 scatores hominum, inducatur foedissima pe-
 cuniæ captura. HUT. At homines item pi-
 scantur in servitutem redigentes, non ut an-
 te, populum Christianum, sed ipsos jam re-
 ges & principes. ERNH. Aliena a Christo
 & ipsum. Voluit ille enim per fidem prædica-
 tam animas hominum lucrifacere apostolos,
 divitias quærere, & potentiam, ac regnum in-
 vadere non voluit. Quanta est hęc igitur in
 Christum contumelia. At non sentiunt
 Christiani, quā̄m sit inversa, & adulterata eu-
 angelica veritas, ibi magnum ad vitæ beatitu-
 dinem impedimentum existemantur humanę
 opes, hic solis pecuniam habentibus cælum
 promittitur. Christus dicit regnum suum
 non esse de hoc mundo, & cum eum regem
 face.

ROMANA

facere volunt populi, fugit ab ipsis, hi in tantum regnis terrenis inhiant, ut propter hæc ferro, flammaq; ruant, ad pertinacissime dimicando omnia conturbent, & quod dicitur cælum, terræ & utriq; mare ipsum misceant. Ille monens non posse nos duobus dominis servire, non potestis, inquit, servire Deo, & mamona, hi ne duobus quidem servire cogitant, sed ita se postremo huic dediderunt, ut in eo toti versentur, ac hæreant quæ conventio igitur Christi cum Belial? Non vident stulti, & cognoscunt, si bene ageretur ex istorum instituto facilius multo esse divitibus, sæculi filius, quàm egenis, Dei electis beari, quod plus largiri possunt illi, indulgentiarum plus emere, atq; in illis multiplicius negotiari facultatibus, at Christi alia longe mens fuit, Beatos clamat pauperes, eorum esse regnum caelorum dicens. **H U T.** At etiam non excludunt pauperes indulgentiarii isti. **E R N.** Scio, hanc viam invenerunt nuper vulgo persuasuri, non pecuniæ studio fieri hæc, ut dicerent, se quidem non accepturos pecuniam, ab iis, qui non habeant, sed gratis dare ipsis tantum, qui dare possunt, ab eis petere. Verum hoc consilio plus etiam auferunt, quàm accepturi alioqui erant, quod nemo arbitratur indulgentias habere se, nisi pecuniam dederit, quanquam & indulgentiarum literas nemini gratis dant. Jam exigua est hæc viritim pecunia, quæ si conferatur, planè imensa fit, hæc se potissi-

TRIAS,

potissimum arte tolerabiles faciunt Romani-
 ita. Itaq; omnes hic dare aliquid volunt, un-
 de unde sit hoc (quis enim parum quid non
 posset?) putantes nonnullam se inire apud
 Deum gratiam, si pecunia sua pietatem auge-
 ant, omnino enim existimant, piis hæc usibus
 tribui mulieres præsertim, quæ misere ibi de-
 cipiuntur, miris per confessionarios istos la-
 ctatæ pollicitationibus, qui ab eis emulgent
 quantum volunt etiam, nec hæ alicujus sibi
 culpæ fiunt consciæ, si compilent maritos su-
 os, ac detrahant liberis, & domum exhauri-
 ant, ut nugivendis largiantur. Immo vocatur
 hæc pietas, & misericordia vocatur, ac a præ-
 dicatoribus in cælum fertur, ut virtus alia
 nulla, non tantum est castissime matronalem
 conservasse pudicitiam, non tantum probe,
 & sancte instituisse liberos, ac minus est con-
 jugium fideliter coluisse, & concordiam ma-
 ritalem ad extremum usq; Spiritum conser-
 vasse, nihil tantum est, omnia vincit, vel fura-
 ri, quod pro indulgentiis detur. Hoc voluit
 unquam Christus? aut esse aliquid rectius
 contra ejus doctrinam potest? HUT. Vadi-
 scum audisse videris. ERNH. Ipsum quidem
 non audivi, hæc vidi, & cognovi. HUT, Eus-
 dem pene verbis agebat hæc, ubi nunc ille,
 inquit, sal terræ, quo de ad apostolos sermo-
 cinatur Christus, Vos estis sal terræ, quod si
 salevanuerit, in quo salietur? Is jam non eva-
 nit

ROMANA.

nuit, & pro eo adulterinus hic, nihili, ac fatuus conspergitur? qui non tempus est, ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus? Facultates autem, cū sit illa de qua paulo ante ex Vadisco retuli, ad nefaria omnia perpetranda licentiæ irrogatio, tamē de facili dantur, ac sæpe, & crebro dantur, sed prius quidē intra urbis septa continebantur, ubi quærebant eas, qui volebant, nuper, quia non satis multi ire Romam, ut mercarentur hujusmodi, videbantur, cœperunt mittere legatos. Hi, siquid per divinas, aut humanas leges minus licet, pro pecunia indulgent. Hæ facultates vocantur, ut si quis vesci carnibus animalium diebus jejuniorum velit, aut lacte, vel ovis, aut butyro, vel si quis vovit, cujus eum pœnituit, & vult posse non reddere, aut si quis juravit, quod servare grave sit, vel uxorem petat, quam ducere eum leges vetent, & ut possit quis viginti sacerdotia, quæ curata vocantur, habere, nec esse tamen presbyter (quod piget multos, ac pudet etiam, in Germania præsertim, sacra facere) a' legatis emittitur. Quos cum tales sint, ubi recipimus hic, aliud facimus, quàm fatalem illum equum, & inclusos utero Danaos, cum intra muros suos, & in arce collocant Trojani? H U T. Idem facimus, sed amplius mundi fiunt, & innocentes a' peccatis malefici omnes, etiam si occiderit quis hominem, aut patrem si quis occide-

F

cide.

T R I A S

tiderit, vel quod his deterius est, si quis, suadente diabolo, clericum verberaverit, aut matri si quis, vel sorori, aut filiae stuprum intulerit, aut summo loco excommunicatum si quem esse contigerit, ab ipso etiam vicario Christi, deniq; factum quicquid est, per facultates infectum redditur. Atq; hic revocare in memoriam oportet casus, qui vocantur papales, ex his enim adornantur facultates, quas tamen non soli adportant huc legati de latere, sed propolium est inibi etiam. Emunt enim Romæ, ut vendant hic postea, fratres mendicantes, aliiq; ordines, & collegia, sed mendicantes præcipue, propter commendandi peritiam, fideliter agunt hi enim pontificis negotium, mira de indulgentiis persuadentes rudi vulgo, & mulierculis, quarum omnes nutus pariter, & renutus gubernant, quas ad suam voluntatem totas habent confessionis adminiculo. E R. Nihil penitus inter mercatores, & hos facultatum negotiatores interesse video. H. Nec inter est aliquid, nisi quod dare pro indulgentiis argentum, vendere id non vocatur, alioqui odium nõ effugerent manifesto jam crimine. E R. Et quod verbo exprimere vetant, id re vera minus est seipso? aut quem ita fascinant hæ striges, ut pro resolvere pecuniam, venditionem esse neget? H. Istos vulgo simplices, & ex principibus stolidos quosdam ac ebrios, quæ est magna illorũ industria, sic belli Turcici nomine

abitu.

ROMANA.

abstulerunt hinc pecuniam toties, quod, si nunc etiam, communi Christianorum omnium consensu geri incipiat, scias profecto solos exhortatores hos, quo minus geratur, in causa futuros. Expediit his enim Turcas esse multis, & gravibus de causis, hac in primis ut exigant à Germanis pecuniam, nam ab Italis non exigunt, neq; fere ab aliis exigunt, soli videtur idonei Germani, quibus tot modis illudatur. Quid? canonizare sanctos (quod est in divos referre aliquem) quale & in ipso quærunt lucrū ac inveniunt? E. Ita gratis hac ætate divus nemo fit? H. Quod vides nemo, atqui rectius erat, sua quemq; merita sanctū reddere, quàm aliorum pecunia injici hanc hominibus opinionem, Nuper quidem fratres prædicatores Antoninum quendam suum cum vellent divum habere, à Maximiliano petebant literas ad Leonem X. quibus illi commendaret causam eam, in qua notum est, quam pecuniam profuderint paulopost. Tunica vero inconutilis, quæ Treveri est refossa paucos ante annos, ut esse talis crederetur, obscure pecunia emptum est à pontifice? aut non pars eorum, quæ illic offerunt peregre visum advenientes adhuc pontifici Romam cedit? ad quam stultitiâ prius omnia perderent, quàm adduci vellent homines Italiæ, factūq; à nobis ipsi ad cachinnum usq; deridēt. E. In Italia quidē vidi neminē horū quicquā facere, quæ nostri tanto cū

T R I A S

detrimento, publico pariter, & privato admittunt, neq; enim indulgentias emunt, vix gratis datas accipiunt, neq; contribuunt aduersum Turcas, & facultates sciunt deludendis, & expilandis barbaris esse adinventas, ob idq; ad se nihil pertinere arbitrantur. Præterea ad templorum, ut nos hic, structuras ne stipem quidem conferunt. HUT. Alterius mentionis comonefacis. Tria semper aguntur Romæ, Vadiscus ait, neq; unquam tamen peraguntur, animarum beatio, collapsarum ædium sacrarum restauratio, & in Turcas expeditio. ER N H. Atq; hæc sunt tria illa, quorum sub prætextu fiunt exactiones. HUT. Hæc ipsa, quemadmodum nuper planè divinas transmiserunt in Germaniam facultates, mentientes pecuniam, quæ tribueretur, pertinere ad divi Petri Romæ, cui fundamenta jecit II. Julius, extructionem. ER N H. Quod si verum esset hoc etiam, & in nullū alium verteretur usum, quid oporteret nostris tamen pecuniis Romana construi templa? aut cur non potius in divite Italia emendicaretur aliquid ad hanc pietatem, vel templorum non satis est in Germania, quæ collapsa opus sit restaurari? non pudet vel petere hoc à nobis pontificem? HUT. Puderet, si ullius indignitatis esset apud quenquam Romæ pudor. Expeditio autem in Turcas quando procedit? ER N H. Immo quoties ab illis, ne procederet, impe.

XXVII.
Tria Romæ semper aguntur nectamen peraguntur.

ROMANA

impedita est. HUT. Et animas ut beant? ERN.
Bearent vero aliorum animas, qui sunt ipsi a
vera beatitudine tam alieni? immo qui sunt
ab omni sic probitati derelicti? HUT. Ea mo-
ves, quæ non patiuntur in se verum dici. ERN.

Quæ sunt illa? HUT. Vadisco referente tria, **XXVIII**
Romanus pontifex, indulgentiæ, & quæ cuiq; *Tria in se*
emolumento est Romæ, improbitas. ERNH. *verum Ro*
Nos dicamus tamen, & quia non moventur, *mæ dici*
si per officium caritatis pie, & fraterne mo- *non pati-*
neamus, tandem quod Vadisco propositum *untur.*
item videmus,

Obliqua invidia, & stimulis agitemus amaris. Aeneid. 11.

Cujus facti spero nos haud paucos habitu-
rum adjuutores, non tantum in vulgo, ubi con-
temptius habentur jam bullæ, & minus, mi-
nusq; emuntur condonationes, ac invisiores
sunt Romanæ legationes, majorq; ac major
est indies exactio impatentia, nec ita, ut
jam pridem, timetur præceptum illud anathema-
tis tonitru, & adhuc pauci dispensationes e-
mercantur, sed apud principes etiam viros,
à quibus tu libere dici quædam, atq; agi re-
fers, quibus amplius ferenda non videtur illa
(quam sibi adfingit ipse) absoluta Romani e-
piscopi potestas, & qui ad consilium anhe-
lant, & neglectius jam adorant impudens il-
lud Christiani pontificis idolum, qui ad ve-
terem illam priscorum antistitum frugalita-
tem respiciunt ægre ferentes per sanatos istos

T R I A S

episcopos, luxu & avaritia perditos homines, religionis prætextu ad tyrannicam abuti superbiam, optantq; suo arbitrato dignis conferri patria hic ab se sacerdotia, quo minus sit locus externæ avaritiæ, cum nostra contumeliâ pariter & incommodo aut absorbere ea, aut vendere qualibuscunq;, & impatienter sustinent lites diutius tanto cum Germaniæ dispendio Romam transferri, misere cupientes, ut ista ecclesiæ capita pro iis, quæ nunc sunt, vitiis, stultitia, luxu, avaritia, rapacitate, perfidia temulentia, astutia, libidine, insolentia, seditione, fraude, violentia, scelere, & crudelitate, has aliquando induant conversim virtutes, prudentiam, vigilantiam, sedulitatem, parsimoniam, frugalitatem, temperantiam, synceritatem, sobrietatem, simplicitatem, continentiam, æquanimittatem, concordiam, fidem, justitiam, pietatem, mansuetudinem, & misericordiam. Deniq; è re Christianorum omnium esse arbitrantur, Christi vestigiis insistere eos, qui illius vicarii esse contendunt, sed neq; oportere hoc eos contendere, ut sint, potius coacte provinciam hanc obire. H. Spes est futurum hoc quidem, aliquando enim ἀπὸ θεοῦ ἔσται ἡ ἐπιτροπὴ τῶν ἁγίων. Verum ubi conabuntur hujusmodi nostrates illi, quid putas contra facient? E R N. Mites erunt,
Nec jam amplius armis,
Sed votis precibusq; volent exposcere pacem.

H U T.

R O M A N A.

HUT. Minime gentium, magna se pertinacia tuebuntur, arma, viros, & equos parabunt, nostra nos pecunia oppugnabunt, ubi suis opibus diffident, ad Gallos, ut olim, confugient, omnia tentabunt, omnem lapidem movebunt, priusquam in ordinem se cogi patiantur. Clamabunt ecclesiæ persecutores (sic enim dicent, quicumq; levare adversum se digitum audebunt) & schismaticos nos, illam Christi in consutilem tunicam vociferabuntur discerpere, execrationibus fulminabunt, nam si quem fugiunt antiquiora, ut nesciat, quæ hoc nomine strenui multi Germani imperatores, (quos illi paleis decretorum adspersos notaverunt postea, perfidiosos, immanes, hæreticos vocando) passi sunt, & quæ infeliciter multis propter inimicorum versutiam, processerit hoc negotium, illud nuper freneticum Julii I. I. edictum monere debuit, quo ille proposito, cum Satanæ omnes, qui adversum se, & ecclesiam arma ferrent, tradidisset, contra qui sub suum vexillum concederent, si cælum, & si quid cælo adhuc sublimius est, promitteret, quem non movere visus est, ac vel ad se blandiendo traducere, vel terrore in fugam, & desperationem conjicere? Unus tot regum, & nationū rem suo arbitratu moderabatur, cui se jungere dignatus est fœdere, eū vincere tantisper, donec amicus fuit, passus est, ubi rescisso fœdere in contrarium declinare partem placuit, rursus eam re-

stituit, secum victoriam, secum principatum, & dominationem, quoquo concederet, secum attulit. E. Scio, sed Julium neq; hoc editum, neq; præterea quicquam suum in his quæ egit, sed temporum occasio, & mira ibi rerum opportunitas juvit, quem ego tamen vel sic reor ultimum felicitate hac esse perfectum, neq; enim arbitror successurum post hunc ulli. H. At illis magna in contrarium fiducia est, quare Vadiscus retulit, per

XXIX. *Tria edificat Romanam.* contemptum nostri, dicere ipsos illos, Romanam tria firmare, humiles fossas, destructos muros, & non sublimes turreis, quasi dicant, contra barbarorum inertiam quantulamcunq; satis esse vim, neq; ulla quærenda magnopere propugnacula. A deo non metuunt nostram virtutem ei civitati, quam terni gubernant

XXX. *Tres urbis Romæ gubernatores.* principes, lenones, curtisiani, & sceneratores. E. Ita per Christum, solos hos enim vidimus Romæ honoratos. H. Et quæ istiusmodi in secula est civibus, in ea quam apte habentur caput ecclesiæ? E. Ut mihi quidem videtur ineptissime. H. Et in ea urbe ut vivitur, in qua tria vix invite homines faciunt, fidem solvere, aliis operam dare, & de via cedere. E. R. N.

XXXI. *Tria Romanenses in viti faciunt.* Quibus moribus quid esse magis posset contra Christianam innocentiam? Nam cum illa in uno hoc consistat, aliis facere, quod sibi quis fieri velit, in tantum contraria sectantur Romani, ut ne de via quidem cedere leve eis sit.

ROMANA.

fit. Porro fides, & liberalitas diviniore sunt virtutes, quàm ut eorū capax esse possit urbs Roma. H. Et quæ tribus aliis ita abundat, ut numerum ea ibi non capiant, scortis, sacerdotibus, & scribis, otioso scilicet grege, & minime frugi hominibus, quanto cum dispendio eorum, a quibus fraudando, & cõpilando eripitur, quod ab his infumatur, quo hæc alatur perniciēs? E R. Per fidem intolerabili. Nam ut alios mittam, quid Germania luat, jam tandem sentimus. H. Et ne paucis intelligi detur, quales sint Romaninunc, tria omnes petunt Romæ, Vadiscus inquit, breve sacrificium, vetus aurum, & vitam in delitiis agendam. E. Quæ religionis neglectum, avaritiam, & vitæ ignaviam arguunt. H. Quibus scilicet vitiis tota obnoxia dedita urbs est, quæ habet tria item sibi peculiaria, pontificem maximum, vetera ædificia, & avaritiæ studium. E R. Hui qualem civitatem ecclesiæ caput habemus, igitur fieri potest ut a loco tot venenis infecto, tot pestibus corrupto, tot corporis, ac animorum malis obnoxio auferamus hunc tandem principatum? H. At esse ibi expedit, ubi tria volgo sunt, quæ in nulla præterea civitate. E. Quæ illa? H. Omnium gentium homines, omnis generis moneta, & omnium linguarum commercium. E. Pereat cum peregrinis illis potius, cum moneta, & linguis pestilens Roma, quam nostros ea mo-

XXXII.

*Tribus
Roma abundat, ut
numerari
nequeant.*

XXXIII.

Tria Romani avidè expectant.

XXXIII.

Tria habet Roma peculiaria

XXXV.

Tria Romæ quæ alias nullo libi,

res

T R I A S

res diutius corrumpat. H U. Verum utile est hoc Romanis corruptissimos esse hic mores, ob idq; cum tria infense odio habeat Roma, **XXXVI.** jus patronatus, quod vocant, liberam ad sacerdotia, & episcopatus electionem, Germanorumq; sobrietatem, tertium hoc infensissime detestatur, nec feret ulterius, vel edicto probatura ebrietatem, quo ne hos sentiamus ludos sobrii. Nam qui minus bibunt, hi contra impuram hanc voraginem liberius, quam fas illi putant, loquuntur, à patronis arbitantes conferri oportere sacerdotia, & quemadmodum vetus institutum est, sacerdotales præfecturas per collegarum suffragia designari. Hoc non feret inquam Roma. E. Nec vicissim nos forte, illius violentiam, fraudem, & scelus feremus. H. Tunc multum vero decedet urbis magnificentia. E R. Cui tandem magnificentia? H. Cui? quasi vero incognitum habeas illius splendorem. Primum enim qualia sunt hæc tria, quæ ubiq; videntur Romæ ac omnibus obvia sunt, equitatio, tabellarii, & benedictiones? E R. Talia profecto, ut nullum eorum usum agnoscam. H U. Deinde ista, quæ item occurrunt passim, loca religione sacra, meretrices, & venerandæ antiquitates. E. Ego illa vero loca minime religiosa arbitror, quæ istos ferunt mores, & recte scriptum existimo, non propter locum gentem, sed

*XXXVI.
Tria odio
habet Ro-
ma.*

*XXXVII
Tria Ro-
mæ ubiq;
videntur.*

*XXXVIII.
Tria Ro-
mæ omni-
bus occur-
runt.*

ROMANA.

sed propter gentem locum eligere Deum, quod si Romam magis amaret Christus quam aut in Germania urbem aliquam, aut in ultima Thule, utiq; mundam eam a tot flagitiis, tot dedecoribus, tanta impietate conservaret, & tunc quidem fulmine eam exureret universam. H. Atq; istam intus lautitiam, hos cultus? E. Et una omnes protonotarios, scribas, sacrificos, copiistas, pedellos, scobatores, episcopos, foeneratores, lenones, & omnem eam colluviem, quæ mundo gravis est. H U. Cum Vadisco sentis strenue, ut ad splendorem urbis tamen reditus fiat, Trium est Romæ vestiri admodum laute sacerdotum, mulorum, & meretricum. E. Vestiant, & adornent, abunde quidem satis est, unde hunc sibi splendorem comparent, donec non respicit infelix Germania, at si quando expergefacta illa sentiet dolorem suum, tum demum contractius vivent isti, ac minus satellitum alent, & deficiente censu ab auratis tandem asinis in pedes se dabunt, nec tum videas purpuratos cardinales comitatu plus quam regio urbem pervagari, minusq; erit otiosorum ibi hominum, minus fraudis, ac scelerum, plus sanctimoniarum, eruditionis, & piarum orationum, & macrescent illi quidem corpore obvigilias, & jejunium, animo vero augebuntur propter sobrietatem primum, & frugalita-

XXXIX.
Tria Romæ splendide vestiuntur.

TRIAS

litatem, deinde innocentiae, & pietatis conscientiam, ac spoliabuntur quidem divitiis, sed amplificabuntur honore vere sacerdotali, & spectabuntur in maiestate se digna. O diem hunc videre liceat, cum istis amotis pravitatibus, hæc erunt penes ecclesiae caput, ubi ubi habebitur illud. Hi profecto placebunt episcopi, non illi, quibus

*Picta croco, & fulgenti murice vestis,
Desidia cordi, juvat indulgere choreis.*

HUT. At non tamen molles sunt, & delicati, sed fraudulentum etiam interim, & extreme furaces, ac violenti, quos rapiendi & compilandi amor, & avaritiae studium transversos agit,
Semperq; recentes.

Convectare juvat prædas, & vivere rapto.

ERN. Ubi eximie malum est hoc in illis, quod rapiendo, fraudando, & compilando, quæ acquirunt ecclesiae parare se dicunt, & Dei obsequio, ac ubi quis tantillum ipsis vicissim detraxerit, sacrilegum proclamant, & ecclesiam diripere eum vociferantur, ac Dei hostem pronuntiant. Ita soli impune rapiunt ipsi, soli propositum habent sceleri præmium, quod quoties faciunt, Virgilianum mihi hoc usurpare videntur,

*Irruimus ferro, & divos, ipsumq; vocamus
In partem, prædamq; Jovem.*

HUT. Sed ferro non irruunt. E. At plumbo irruunt, quid autem refert quibus armis vincatur

catur

ROMANA.

ratur Germania? H. Sed ibi quid cavet bulla
cœnæ domini? E. Quod bulla potest? H. Et
tamen eam, ut nihil præterea metuunt homi-
nes. E. Quid tum, quod illorum opes sic ac-
quisitæ ab aliis sperantur, aliis sunt formida-
biles? & quod orbem Christianum, sed Ger-
maniam in primis fucio, & præstigiis suis infa-
tuatū tenent? principes ipsos ad meram pro-
pe insaniam redegerunt, quibus cum rosas
mittunt ab se consecratas, & gladios, & gale-
rus, ô dii immortales, quam ineunt gratiam,
quas vicissim opes, quæ commoda recipiunt.
Illi vero, qui hæc adferunt à pontifice, qua se
magnificentia, quo cultu tractari jubent? Vi-
disti quendam nuper oratorculum pontificis,
qui rosam ferebat in Saxoniam, nolebatque
offerre eam, nisi à principe episcopo fieret in
oblacione ipsa sacrificium. Ita quadam in pom-
pa, & publica celebritate oportet explicare
pontificias nugas, & Romanam superstitionem.
Sed hæc fieri hic parum esset, nisi & Ro-
mam iretur ingenti sumptu osculatum ponti-
ficis pedes, & nescio quid inde allatum hūc.
HUT. Neq; ego scio, præter ea, quæ supra
exposui, quid auferant ab urbe, qui eam acce-
dunt. Certe tria vetitum esse Roma exporta-
ri Vadiscus retulit, nec vetito ibi opus erat,
sanctorum reliquias, quæ an ibi sint quales o-
stenduntur, propter ambiguum apud omnes
de Romana fide opinionem, incertum est,
gran-

XL.

*Tria Ro-
ma expor-
tari ne-
queunt.*

T R I A S

grandes lapides, quos alioqui nemo deportaret facile, & pietatem, quæ penitus ibi nulla est. E. Publice quidem nulla, privatim apud simplices quasdam matronas, ut valde dubitem, an centesimus quisq; Romanensium, vel mediocriter pie de religione sentiat nunc.

XLI. HU. Huc ibam. Tria Vadiscus ait paucissimi Romæ credunt, animorum immortalitatem, communionem sanctorum, & inferorum poenas. E. Persuasit. Existimo enim, si animam crederent immortalem, utiq; eam excoleret quisq;, ejusq; commodis inserviret, nunc corporis voluptatem in tantum sectantur, ut animam premant modis omnibus. Illam vero beatorum communionem, si quid facerent, etiam ejus participes esse vellent. Porro de poenis inferorum vel verbû dicere inter præclaros hos quirites pro anili est fabula. H. Et tamen pietatem ostentant ibi, & de ea publice loquuntur admodum magnifice.

XLII. Tria Romæ cum non sint tamen ibi ostentantur. sic refert Vadiscus, tria Romæ, cum minime sint, tamen ut nusquam alibi ostentantur, pietas, fides, & innocentia. E. Profecto nulla sunt ibi ea, ostentatio vero hæc similis mihi videtur Virgiliano isti monstro, cujus

XLIII. Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo Pubetenus. postrema immani corpore pristis.
Tria Romæ cum sint raro tamen videntur. HUT. Contra vero, tria Romæ cum sint maxime, videntur tamen perraro, Vetus aurum (abstruditur hoc a curtisanis ibi sacrificis,

ROMANA.

cis, & sceneratoribus) pontifex, raro is (ut
 augustior sit ejus apud vulgum conspectus)
 prodit in publicum, & venustæ mulieres, qui-
 bus propter zelotypiam, & adulteriorum ibi
 licentiam, metuunt qui habent, atq; igitur
 custoditas observant. ERN. Quando omnia
 complectuntur Vadisci terniones, dic quæ
 carissima esse Romæ arbitrabatur? HU. Tria
 item, officia æquitatem & amicitiam, propter
 raritudinem scilicet, penè beatus enim Ro-
 mæ existimatur, cui hæc obtingunt. EHNH.
 Equidem credo in tali hominum pravitate,
 his moribus, quanquam est speciosa ibi passim
 amicitia ostentatio, quis nos enim, notus sal-
 tem, non complexus est, aut osculatus, obvi-
 am ubi processerat? sed credo buccas oscu-
 lari Romæ homines, cum corde sint alienissi-
 mi etiam. H. Tria, secundum Vadisci fermo-
 nē osculantur Romæ homines, manus, altaria,
 & buccas. ERN. Quid pedes vero non oscu-
 lantur? HUT. Pontificis quidem, sed admo-
 dum pauci, & ii magnates, aut quibus alio-
 qui bene vult sanctissimus. ERNH. Toties
 tria aut male fieri Romæ video, aut vane, &
 superstitiose ferri, non invenit Vadiscus bo-
 ni etiam aliquid? HUT. Invenit bona, sed ita
 pauca, ut propter penuriam nec tere ternio-
 nem non posset, qui suspensum me aliquan-
 diu habuit, cum diceret, tria misericordiae
 opera

XLIII.

*Tria Ro-
mæ sunt
carissima.*

XLV.

*Tria Ro-
mæ oscu-
lantur ho-
mines.*

T R I A S

XLVI. opera esse Romæ, expectabam enim, nunquid
Tria mi- sancti adferret. E. Ille vero quid? H. Opera,
sericordiæ inquit, misericordiæ sunt Romæ, monaste-
opera Ro- riorum, si qua sunt opulentiora, census dare
mæ. in commendam (ut vocant) cardinalibus, ca-
 nonicorum vectigal, & pinguia ubiq; sacer-
 dotia obvertere collationi pontificiæ, & in-
 æstimabilibus superstitionibus, ac magicis pla-
 ne' terroribus coactas ad desperationem fi-
 delium mentes condonationum, & veniarú
 refovere mendicamento. E. Opus misericor-
 diæ nullum video, avaritiam video, & frau-
 dem inexpiabilem. H. Atq; ego video. E R N.
 Quid diutius fascinari mundus igitur susti-
 net? aut quid in mora est, quo minus confe-
 stim evertat eos, qui pervertunt omnia. De-
 niq; miseria quæ, persuasum esse non licere
 morbosum hoc, ut melius sit corpori univer-
 so, submovere caput? H. Pontificem quidem
 submovere non licet, quacunq; etiam ratio-
 ne velit mundus, propter decretorum, & ju-
 ris canonici cautiones, quæ omnem facile op-
 pugnationem propellunt, etiam concilium.
 E. Infelicem conditionem populi Christiani,
 si credit sibi contra tot, ac tales indignitates,
 nihil esse conandum, nihil adversus nitendú,
 sed mihi spes est aliud hominum mentibus in-
 diturum Christum Opt. Max. consiliú, nem-
 pe ut hæc primum decreta, deinde ipsos, qui
 decernunt, & confingunt hæc, copiifas, &
 nota.

ROMANA.

notarios, principes scilicet Romanæ ecclesiæ, funditus evertant, & extinguant. H. Atq; ea auferat item, quæ dedit Constantinus? ERN.

Quæ enim dedit is? H. Primum satellites, equos, coronas ex auro purissimo, phaleras, currus, baltea, purpuram, paludamentum, diademata, fibulas, & hujusmodi, deinde regna etiam, urbes, & imperium E. Vetus fabulamentum, mihi non fit verisimile, atq; igitur sic judico, si sint hæc etiam Romæ in istorum potestate, evertenda, ut eorum alia, ipsum pontificem una cum cardinalibus redigendum ad veterem frugalitatem, & innocentiam, καὶ εἰς ἀρχαίας φάτνας. H. Illi quidem nondum metuunt tale quicquam futurum fiducia quadam singulari. E. Qua tandem? H.

Quod tria sunt Romæ in comperto, Romanorum virtus, Italorum versutia, & Germanorum inertia. E. Hæc scilicet faciunt confidere eos? H. Faciunt atq; hinc illa securitas.

ER. At Romanorum virtutem pro extincta habent omnes, ut in hac re proverbium jactetur etiam. πάλαι ποτ' ἦσαν οἱ ἀλκιμοὶ μάλιστα. H. Ipfis alia opinio, trahunt ad se hæreditario quasi jure veterum decus, & ornamentum Romani nominis, tum eos vel unum solatur Romanæ majestatis vocabulum. ER.

Quam indefensi erunt, si ad vocabulorum respiciunt præsidia. Versutia vero Italorum est ipsum quidem aliquid, sæpe enim magnas

G

delu.

XLVII.

Tria Ro-

mæ sunt

in com-

perto.

delusit nostras copias, at Germanos spero non semper fore inertes. H. Illi sperant, alio qui metuerent has vires. E. Ne metuant, verum sentiant in publica orbis de se querela. H. Scis quid præcipue de urbis gubernaculis hodie conqueri debuit, si saperet, mundus? E. Multa scio, quæ graviter sunt ferenda, sed ea aliter credo colligi ab illo ternionum concinnatore, dic quæ? H. Tria primo loco, quod pessima Florenunorum factio in urbe dominetur, & quod pro Deo habendum pontificem adsentatores sui monent, quodq; nimium licenter usurpat ille sibi veniarum beneficium, & anathematis pœnam. E. Vadisci ingenium valde probo, tuam diligentiam colaudo, & memoriam demitor unice. Verum dic mihi, qui omnia terna facit Romæ, num tres etiam gladios tribuit pontifici, qui duos habere solebat sua prædicatione, sæcularem, & spiritalem? H. Jam tres habet, ut triplicem ante coronam, accessit enim tertius, quo tondet gregem suum pastor ille Christi vicarius, & quo refecat si quid ulcerosum est, ne contagio pervadat. E. Nec fornice agit hoc, ut alii pastores? H. Gladio agit, ut simul terreat, alio qui tonderi oves non sustinerent, tum interficere nonnunquam oportet aliquas, hoc aptius fit gladio. E. O gladium! ô pastorem! ô tondere! ac refecare, quàm nihil his cum Christo convenit, qui apostolis suis reliquit

gla.

XLVIII.
Tria omnibus
bonis graviter
ferenda in
Romani.

XLIX.
Tres habet
Papa
gladios.

ROMANA.

gladium Spiritus sancti, quod est verbū Dei. Proinde gladio percutitur, qui percutit gladio, hoc Christus faxit. Ego inter tot confertas in urbis mores triadas, tria item mala imprecor colluvioni isti, id est orbis corruptelæ, & publico contagio, pestilentiam, famem, & bellum, atq; hæc mea trias esto. H U. Alioqui tribus erat illa morbis obnoxia, dicente Vadisco, febrī, paupertati, & fraudi. E. Peculiares sunt hæc urbis pestes, & nos quidem paupertas acriter ibi correptos habuit, febris etiam semel, aut iterū, fraude vero familiares quosdam nostros perimi magno cum dolore vidimus. H. Sed & alia tria commemorabat urbis mala, annonæ caritatem, perfidiam, & cæli intemperiem. E. Qui omnia facile excommunicat, & in cælos pariter, ac terram jus habet pontifex, cur non exturbat hæc inde mala, & publicum aufert contagium, ac morbos avertit? aut quid in animas hominum jus suum jactat, prius quàm in corpora ostendat? H U T. Possent hoc quidem facere, si tale quicquam posset, verum sic ibi jocabatur Vadiscus, tria excommunicare ab se urbem Romanam, egestatem, primitivam ecclesiam, & veri prædicationem. E R. Et pietatem credo omnem, atq; omne fas, & quicquid Christus docuit exclusum vellet, ut in omnium secure scelerū licentia regnaret. H. Sed jam in multam adeo noctem evasimus, & te quidem tua

L.

Tria omnes boni Romani imprecantur.

LI.

Tribus Roma in orbis obnoxia.

LII.

Tria urbis Romæ mala.

LIII.

Tria Roma excommunicat.

T R I A S

credo uxor expectat, me Stromer, qui solum se esse in aula putat, quoties ego abs sum, nec me vicissim minus desyderiū tenet ejus amici, quem unum hic omnium jucundissime cōplector. Itaq; domum redi ternionibus satur, & concitato in urbem Romam stomacho æstuans, ut aliquid apud tuos ex hac eructes eruditate. Ego diem perdididi. E. Perdidisti? Ah quam vellem multos sic perderes. Sed uxore ego semper habeo, te vix raro perfruor. Hic pernoctemus ambo, ut simul in dormiamus etiam sceleratis ternionibus. H. Ut tua mihi uxor oculos exculpat cras, si te hic detineam, & unam ab se noctem abstraham? E. Minime faciet, Immo ne dicet quidem aliquid. H. Novi mulierum ingenia. Aliquo abductum in ganeum suspicabitur ad amicam. Non te fero. Imus, tu illuc, ego in aulam ad Stromerū, qui haud dum est mulierum obnoxius suspicionibus. Imus hinc. E. Sed ternionum nihil restat? H. Sunt viles quidam, non libet commemo-

LIIII.
Tria Ro-
manæ avaritiae instrumenta

L V.
Tria Romæ extreme despe-
ta.

rare. E. At mihi audire libet, etiam viles illos. H. Inter eundem dicam. Tria sunt Romanæ avaritiæ instrumenta, cera, membrana, & plūbum. E. Recte. H. Et tria Romæ sunt extreme despecta, paupertas, timor Dei, & æquitas. E. Misere. H. Triumq; est nusquā, ut Romæ disciplina, crapulandi, & fidem fraudandi & turpitudinis genus omne exercendi. E. Hæc tria si omisisses, nihil dici poteras a Vadisco didicisse.

ROMANA.

cisse. Hæc sunt illa em venena, quib. alias prius nationes, deinde Germaniam quoq; infecit urbs Roma quodã quasi pestifero immisso ad flatu imedicabiliter. Hic ille est, inquam, malorũ maximorũ fons, unde isti redundant morbi, ista profluunt contagia. Breviter hæc est Roma, omnis spurcitiae lacus, improbitatis sentina, malorũ inexhausta hæc lerna est, ad quã evertendam, veluti ad publicã quandã extinguendam perniciem, non omnes undiq; concurrent? non velis, & equis ibitur? non ferro, ac flamma erumpetur? Videmus in Germania, quibus de fama est, quod turpi obsequio meriti sacerdotia Romæ sunt. Videmus multa facere, ac pati Curtisanos hic, quæ ignoravit prius hæc natio, & quorũ esse capaces hi mores crediti nunquã sunt. Videmus indulgentias, cum sint bonorũ operum remissiones, hoc facere hic, ut multi arbitrentur malis sibi efficere. En pestilens orbis theatrũ, ubi quæcũq; vident homines, ea imitari fas esse sibi arbitrantur. En nobile hoc mundi horreum, in quod conferuntur, quæcũq; undiq; rapta, & abacta sunt, in quo medio sedet ille insatiabilis gurgulio, multa vorans, populatq; ingentẽ farris acervum, tot stipatus comanduconibus suis, qui primũ quidem sanguinem hauserunt nostrũ, post carnes adederunt, nunc vero in ipsis demũ versantur pro Christo, medullis, ac intima confringunt ossa, totumq; quod est re-

LVI.
Tria Romæ nō patiuntur dī disciplinam.

liquum, comminunt. Hic non arma expedient Germani? non ferro ac igni invadent? Hi sunt depeculatores nationis hujus, qui cupiditate prius, nūc audacia itē, & furore cōpilāt populū orbis dominū, sanguinem ac sudorem Germanæ plebis heluati ē visceribus pauperum suam ingluviem confertientes, suū luxum alentes. His aurū nos damus. Hi nostro sumptu equos alunt, canes, mulas, & ô scelus, meretrices, & catamitos fovent. Hi nostra pecunia suam fulciunt pravitatem, suā comparant vitā, se purpura induunt, equos suos, & mulos auro frenant, e' solido marmore domus construunt, qui, cum præsent religioni, non tantū hanc negligunt tamē, quod piaculi fatis erat, sed contemnunt etiam, imo' jain violant, polluant, & contaminant. Hi cum visco prius quodam inescatos nos caperent, & mentiendo, fingēdo, ac fallendo pecuniā emulgerent, nūc terrore, nimis, vi, & violētia diripiūt, ac spoliāt lupi ceu *Raptores atra in nebula, quos improba ventris Exegit cæcos rabies, catuliq; relii.*

Atq; hos palpare oportet, non pungere, aut vellere, ne tangere quidē, aut movere. Quin resipiscimus tandem, & opprobrium hoc nostrum, publicam calamitatem ulciscimur, à quo religionis ante opinio, & pietatis reverentia detinuit, eo' necessitas adigit nunc, & compellit? H. Iratū te uxori tuæ remitto. E. Quid nō irascat? aut quis tam patiens est, quem hæc

ROMANA.

non commoveant? H. At fines ab illa placari.
 E. Etiam jocularis in re tanta. H. Tunc quidem
 non jocabor, cum licebit manu exequi nego-
 tium hoc. E. Nec minus infense, quàm contra
 Suevicum nuper tyrannum expedieris? H. U.
 Immo infentius illa enim gentilitia tantum,
 ac domestica, & privata, hæc patriæ est, &
 publica causa. E. Sed jam nulli penitus super-
 sunt terniones, ut voremus reliquum? H. Fæx
 ternionum est, trium esse Romæ copiam, mu-
 lorum, bullarum, & procurationum. E. Reve-
 ra. H. Et trium esse Romæ versicolorem ge-
 stare amictum, servorum, mulierum, & mo-
 nachorum. Habentq; tria villos Romæ, cin-
 guli virorum, marsupia curtifanorum, & e-
 quorum habenæ. Ecce tibi, quantum memo-
 ria complecti licitum est e' Vadisci sermone.
 E. Ita cum fæce, ut ajunt, una' hausimus hanc
 molestiam. H. Te cogente. E. R. Nec esse tibi
 grave debet sic cogi, nec ego vereor tale ob-
 commodum fatigare amicum, tibiq; habeo
 gratiã, qui hæc apud me evomueris. H. Igitur
 vale. E. Et tu vale. Sed ô, quid me vis precari
 curtifanis hac noctu? H. U. Quid enim aliud,
 quàm ut beneficia perpetuo captantes nun-
 quam accipiant, conficianturq; cupiditate
 hac misere E. R. N. Et uxori scilicet meæ præi-
 bo, ut hæc simul voveat? H. U. T. Si videtur.

LVII.

Trium
Romæ est
maxima
copia.

LVIII.

Trium Ro-
mæ est ver-
siculorem
gestare a-
mictum.

LIX.


Tria Ro-
mæ ha-
bent vil-
los.


F I N I S.


AD LECTOREM DE TRIADE
Romana Epig. Huttenicum.


Cernis, ut Ausoniae lector trina omnia Romæ
Infatuent homines, conscelerentq; Deum.
Cernis, ut ejecto post multa obstacula Petro,
Impostor victa regnet in urbe Simon.
Cernis, et illudi Christo, sacrumq; vocari
Furta Palatini mystica pontificis.
Cernis, ut occæcent deceptum oracula mundum,
Sæpe nova Ausonidum condita fraude patrum.
Et quæ Teutonicum versutia devehat aurum,
Qua Roma externis arte sequatur opes.
Tot prædas, variosq; dolos, miramq; sacrorum
Decipulam obducta religione regi.
Et nusquam minus esse fidem, quàm possidet illa,
Præscribit fidei, quæ sibi Roma caput.
Cernis, honoratis fraudi concede leges,
Et figmenta sacri juris habere locum.
Cernis, agi, ferriq; Deum, fieri omnia cernis
Spelucris, et cæli gaudia cernis emi.
Ut remeret castos scelerata pecunia mores,
Cernis emi, ut possis vivere parva sequens.
Pacta, datamq; fidem corrumpi, et fœdera solvi,
Utq; adjurato decipiare Deo.
Facta infecta dari, misceri sacra prophanis,
Tum si quid Christus præcipit, esse jocum.
Omnia Romanas (breuiter) pervertere bullas,
Semen et innumeris spargier inde malis.
Quæ cum ita sint, verus opus est defendere leges,
Obviaq; impositis provehere arma dolis.
Et deceptorem secludere ab urbe Simonem,
Proditaque admissio reddere jura Petro.

JACTA EST ALEA.









Th
1387